

Pétrarque avait adopté une graphie originale du latin, qui peut dérouter. Pour des raisons techniques (mais aussi pour rendre le texte plus accessible aux latinistes actuels), la graphie traditionnelle a été rétablie.

## LIBER I

## AD BARBATUM SULMONENSEM

P1\_01 v.1 Si mihi saeva pium servassent sidera regem,  
 2 pars animi, Barbate, mei, non littera cordis  
 3 nuntia per vastos tractus telluris et undae  
 4 ambiguum tentaret iter, tua lumina praesens  
 5 aspicerem, vox viva tuas contingeret aures.  
 6 Mors vetat. Heu varii quos quondam largus honores  
 7 contulit ille mihi ! Vultus heu blanda sereni  
 8 majestas placidaeque decus pondusque senectae !  
 9 Heu praerepta mihi frons augustissima caelo  
 10 reddita jam patrio ! Vox heu doctissima melle  
 11 dulcior hyblaeo, quae presa tenacibus hamis  
 12 corda virum rapiiebat humo, quae laudibus amplis  
 13 ingenium celebrare meum calamumque solebat,  
 14 calcar agens animo validum ! Non omnia terrae  
 15 obruta : vivit amor, vivit dolor ; ora negatur  
 16 regia conspicerem, at flere et meminisse relictum est.  
 17 Haec duo Lethaeis numquam de pectore nostro  
 18 eripiet mors atra vadis. Verum ordine vitae  
 19 proposito excutimur. Mundi pars una placebat,  
 20 spargimur hac illac pelagoque abrumpimur alto  
 21 Alpibus ac mediis, quotiensque faventibus astris  
 22 reddimur Ausoniae, bustum tibi forte Maronis  
 23 obtigit in partem vatis, mihi cessit origo,  
 24 amnibus ac toto disjungimur Appennino.  
 25 Hinc mea vox mittenda tibi est, et credere curas  
 26 cogimur arcanas calamo, nec pauca silendi  
 27 causa labor, sed plura metus, ne nostra profani  
 28 abdita perspiciant oculi : vulgata videri  
 29 non metuunt. Memor ergo precum, dilecte, tuarum,  
 30 institui exiguam sparsi tibi mittere partem  
 31 carminis, exactae percurrens otia vitae.  
 32 Perlege, cognosces animum sine viribus alas  
 33 ingenii explicuisse leves. Nam, vera fatebor,  
 34 implumem tepido praeceps me gloria nido  
 35 expulit, et caelo jussit volitare remoto.  
 36 Paenitet incepti : cursum revocare juventae  
 37 si liceat, mansisse domi, cum tempore nervos  
 38 consolidasse velim. Late jam noscor et audax  
 39 fama praeit meritum laxisque effertur habenis.  
 40 Affectus animi varios bellumque sequacis  
 41 perlegis invidiae curasque revolvis inanes,  
 42 quas humilis tenero stilus olim effudit in aevo ;  
 43 perlegis et lacrimas et quod pharetratus acuta  
 44 ille puer puero fecit mihi cuspede vulnus.

45 Omnia paulatim consumit longior aetas,  
 46 vivendoque simul morimur rapimurque manendo.  
 47 Ipse mihi collatus enim non ille videbor :  
 48 frons alia est moresque alii, nova mentis imago,  
 49 voxque aliud mutata sonat, nec pestibus isdem  
 50 urgeor, erubuit livor cessitque labori.  
 51 Cessit an incaluit longisque recrudit annis  
 52 laude tumens aucta, et mecum cum tempore crevit ?  
 53 In dubio est : certe hunc didici contemnere ab alto.  
 54 Jamque equidem vel nulla lues vel spreta quietem  
 55 dat calamo atque animo. Jamque observatio vitae  
 56 multa dedit lugere nihil, ferre omnia : jamque  
 57 paulatim lacrimas rerum experientia tersit.  
 58 Jam quod non potuit ratio, natura diesque  
 59 longa potest ; vicere duae cui cesserat una.  
 60 Tempus edax minuit quem mors exstinxit amorem.  
 61 Flamma furens annis, cumulo cessere favillae.  
 62 Nunc breve marmor habet longum, quibus arsimus ignes,  
 63 pectore nunc gelido calidos miseramur amantes,  
 64 jamque arsisse pudet. Veteres tranquilla tumultus  
 65 mens horret relegensque alium putat ista locutum,  
 66 sed jam nequicquam latebras circumspicit : ardens  
 67 turba premit comitum, quos par insania jactat,  
 68 dulce quibus conferre suis aliena, nec illos  
 69 submovisse sat est ; acies nam major apertam  
 70 protrahit in lucem. Durum : sed et ipse per urbes  
 71 jam populo plaudente legor, nec Musa regressum  
 72 secreti jam callis habet, vetitumque latere est.  
 73 Prodeat impexis ad te festina capillis  
 74 ac fluxo discincta sinu, veniamque precetur,  
 75 non laudem. Veniet tempus dum forte superbis  
 76 passibus atque alio redeat spectanda paratu.  
 77 Nunc tibi qualis erat sub prima aetate, priusquam  
 78 figeret in thalamo speculum vultumque comasque  
 79 inciperet cohibere vagas, occurrit, amice,  
 80 cui semper "rex quantus amor " non seria tantum  
 81 sed nugae placuere meae. Tu consule, quaeso,  
 82 parva licet, magni : nam dum majora parantur  
 83 hunc tibi devoveo studii juvenilis honorem.

AD BENEDICTUM XII PONTIFICEM ROMANUM SUB NOMINE URBIS ROMAE.

P1\_02 v.1 Te, cui telluris pariter pelagique supremum  
 2 contulit imperium virtus meritumque pudorque  
 3 et deus omnipotens et inevitabile fati  
 4 arbitrium mundique dedit quas volvis habenas :  
 5 en ego te supplex, sparsis miseranda capillis  
 6 et sacros complexa pedes ac dulcia figens  
 7 oscula, sic dominum et sponsum confessa ducemque  
 8 alloquor. Alme parens, solus qui cuncta gubernas,  
 9 quem stupet et flexis genibus gens omnis adorat,  
 10 si mihi quae viguit juvenili in corpore quondam  
 11 forma foret roseusque color, si pectore sanguis  
 12 fervidus, aut sponsis irem comitata duobus,  
 13 ipse habitus notam faceret summisque verendam  
 14 principibus, nomenque meum tacitura fuisset :

15 squalida sed quoniam facies neglectaque cultu  
 16 caesaries, multisque malis lassata senectus  
 17 eripiunt solitam effigiem, vetus accipe nomen,  
 18 quo nullum toto memoratur notius orbe :  
 19 Roma vocor. Vultumne, pater, cognoscis anilem  
 20 gutturis ac tremuli, sonitum, et deformia segni  
 21 membra mora, invalidis vix consistentia plantis ?  
 22 Sic anni nocuere mihi qui fortia vincunt  
 23 et senium clara decussit fronte decorem.  
 24 Quid queror, o nimium simplex ? Licet irrita tempus  
 25 cuncta ferat, caelique labor requiesque negata  
 26 sideribus, forti nondum superantur ab aevo  
 27 multa tamen, longe quibus altior extat origo.  
 28 Urbibus Argolicis Latiisque ingentia perstant  
 29 moenia, et indomito cernuntur vertice turres,  
 30 quas decuit rapido primum succumbere saeclo,  
 31 si series servata foret longinqua dierum.  
 32 Nam prius insane quam lamberet ubera matris  
 33 egregius fama venturus ad astra Quirinus,  
 34 Mantua jam steterat variis habitata colonis :  
 35 jam Patavum, Antenor flammam emensus et undas  
 36 ediderat : Pisana procul submota Sicano  
 37 urbs erat Alpheo : Tibur et Praeneste Latinis  
 38 flos erat in populis. Quid singula persequor ? Ergo  
 39 non venit aetatis vitio quod ruga senilis  
 40 canitiesque premat ; sed enim te nulla remoto  
 41 illuxit mihi pulchra dies nullaque rebelles  
 42 devinxit fraternus amor dulcedine natos,  
 43 haud satis annosam veritos contemnere matrem.  
 44 Decolor hinc facies, hinc praecipitata senectus,  
 45 hinc mihi continuusque dolor lacrimaeque recentes.  
 46 Semper et ad Superos nequicquam mixta querelis  
 47 murmura cum precibus, vel inania vota feruntur,  
 48 postquam a complexu sum cari abjecta mariti  
 49 et patris et domini, solus nanque omnia nobis,  
 50 solus eras per quem poteram formosa manere.  
 51 Heu terrenorum decus et spes falsa bonorum !  
 52 Illa ego sum infelix toti quae cognita mundo  
 53 nuper honorato pulsabam vertice caelum,  
 54 cetera calcabam : currentia flumina, fontes,  
 55 et mare littoribus flexum terrasque patentem,  
 56 arma, urbes, armenta, viros, quaecumque sub usus  
 57 humanos natura dedit Romana fuere.  
 58 Me dominam late regnantem vidit Eoi  
 59 consurgens aurora procul de gurgite ponti :  
 60 me quoque victricem zephiri sensere tepentes  
 61 flatus et argentis boreae, pluvialis et austri,  
 62 et quaecumque vago tellus obsessa profundo  
 63 despicit aut fluctus, nitidas aut suspicit auras.  
 64 Me Dacus immitis timuit, me durus in armis  
 65 Germanus Graiusve loquax atque asper Hiberus,  
 66 non fuga praeripuit Parthum mihi fulta sagittis,  
 67 nec labor ipse viae subduxit cladibus Indum,  
 68 Aethiopemque jugo non torridus abstulit aether,  
 69 frigora nec Tanaim, nec saevior unda Britannum.  
 70 Me mala Carthago tribus est experta ruinis,  
 71 bellaque sunt Macedum totidem totidemque labores.  
 72 Proelia quis nescit multos agitata per annos

73 et regem Ponti domitum in praecordia tandem  
74 vix vetitas reserasse vias per membra veneno ?  
75 Antiochum Pyrrhumque gravem variumque Jugurtham  
76 praetereo regesque alios, ne cognita pridem  
77 ac vulgata satis tumido sermone revolvam.  
78 Sed postquam fortuna ferox, quae vertere ad imum  
79 summa solet, gaudens validissima frangere regna,  
80 instabiles turbata pedes a flumine tusco  
81 avertit seroque domum reditura recessit,  
82 extemplo variis hinc illinc acta procellis  
83 per scopulis et saxa feror ; nanque omnis avite  
84 majestatis honos viduatam conjuge sancto  
85 deserit, ac tantum invidiae mea gloria vivit,  
86 et meminisse premit et desperatio torquet.  
87 Unde etenim aut quo nam misere sperare relictum  
88 te praeter qui cuncta potes praestante salutem ?  
89 Civili hinc semper scelus o lacrimabile dextra  
90 dilanior, cupidis illinc sum praeda tyrannis.  
91 Infames venere proci, qui nostra petentes  
92 conjugia invitam violarunt ; corpus inerme  
93 nempe erat, indignum auditu, nec corpore robur  
94 femineo, aut usquam pavide fuga tuta patebat :  
95 his fisis, quanquam pudeat meminisse, capistro  
96 succinctus rigido tenuique indutus amictu  
97 corvariae obscenus quid non est ausus alumnus ?  
98 O furor et rationis inops ac caeca libido,  
99 quo pergis ? Quae monstra paras ? Jejunus, ab ungue  
100 nudus adusque genu, solitus silvestribus herbis  
101 longaevam recreare famem et radicis amare  
102 cortice, non timuit, senior jam, turpis adulter  
103 luce nec erubuit sacrum incestare cubile.  
104 Circumfusa equidem stetit impia turba profanis  
105 vocibus exclamans : " Nimios jam despicit annos  
106 vir tuus et fugiens alias sibi jungit amica ".  
107 At neque blanditiis nec me terrore minisque  
108 flectere cum posset, rapidam compulsus in iram  
109 vi rapuit tenuitque diu, dum forte cruento  
110 Teutonicum lateri sibi cingere contigit ensem.  
111 Si potes ista pati, poterunt simul ignis et unda  
112 insolitis haerere modis, poteritve ferocem  
113 agna fugare lupum, fulvumque capella leonem.  
114 Anne senem refugis meliori tempore amatam ?  
115 An cessas praebere manum lapsamque juvando  
116 erigere et fidus fragili comes esse senectae ?  
117 Te sine nulla manent dulcis solatia vitae.  
118 Nam qualis matrona viri spoliata favore,  
119 quem triste exilium longinquas traxit in oras,  
120 maesta domi festisque sedens lacrimosa diebus  
121 exspectat cupidosque oculos trans aequora jactat :  
122 talis ego et nostris thalamis te erumpere cernens  
123 indolui, vates utinam non certa futuri !  
124 Post autem assidue te, praeclarissime conjunx,  
125 nocte dieque vocans, raucis vix fessa precando  
126 faucibus ista loquor, vix verba novissima formo.  
127 Sedibus avulsos possem si ostendere colles  
128 et pectus nudare meum, per mille vivendo  
129 vulnere me laceram, fleres, nisi saxeus esses.  
130 Nunc tamen (ut licitum est absentia mente tueri),

131 aspice templa dei multo fundata labore  
 132 ut ruitura tremunt, nullis altaria gazis  
 133 accumulata silent modico fumantia ture.  
 134 Aspice quam rarus subeat penetralibus hospes,  
 135 quamque inopi sub veste petat delubra sacerdos,  
 136 et miserere, pater, meritam nec forte negabis :  
 137 nam mihi si fandi veniam das (absit ut ista  
 138 improperare velim, sed prisca recurrere dulce est),  
 139 cum summo fortuna loco me laeta locasset  
 140 regnaque sub pedibus nostris prostrata jacerent,  
 141 nullum passa parem, dominum te sponte petivi.  
 142 Si dubitas, non parvus adest mons ille Soractis  
 143 testis et unanimi proclamant murmure silvae.  
 144 Si dices : "Non solus ego, fuit alter in arce  
 145 regnator sponsusque tuus ", stat vera fateri  
 146 mens mihi, nam foribus figmentum haec submovet aetas.  
 147 Ille vagus profugusque sinu discedere nostro  
 148 sustinuit nostrique illum Germania secum  
 149 abstulit immemorem ; vulnus jam longa cicatrix  
 150 astrinxit lacrimasque valens siccare vetustas  
 151 intulit antiqui paulatim obliviam damni...  
 152 Tu vita spes una mihi baculusque cadenti,  
 153 quo steteram subnixa diu, tu grata laborum  
 154 et tranquilla quies, clipeus tu saeva tonantis  
 155 fulmina fortunae excutiens portusque salutis,  
 156 quo quassam et tanti jactatam advertere proram  
 157 naufragio contenta fui. Solabar ut uno  
 158 lumine, dum poteram, sic nunc orbata duobus  
 159 non possum tacitas ultra perferre tenebras,  
 160 verbaque si libeat curarum audire mearum,  
 161 spero animum motura tuum. Nam fama locuta est  
 162 nescio quid gratum misere, te semper in ore  
 163 nomen habere meum, nec non de conjuge tristi  
 164 multa solere loqui, viduam quoque saepe vocare :  
 165 haec eadem nunc fama meas perduxit ad aures  
 166 pellere te, ut proprias sedes ac tecta revisant,  
 167 praelatos ex urbe tua, nec velle putandum est  
 168 externis praebere, tuis sua jura negare.  
 169 Quid ? Quod egestatem nostram miseratus opemque  
 170 non expectatam jam nunc, dilecte, dedisti,  
 171 qua tegerem latus ipsa meum, ne scilicet essem  
 172 nuda revertenti sic occursura marito.  
 173 Adde quod et fletum renovans intervenit omen.  
 174 Est breve tempus adhuc, cum te durissima morbi  
 175 vis tenuit timuique putans te vita carere.  
 176 Terribilem, si vera ferunt, in limine mortem  
 177 vidisti intrepidus, nobis tunc ossa referri  
 178 jussisse ac patrio pallentia membra sepulcro  
 179 diceris, et claustro Vaticani corpus humandum,  
 180 si moriens venturus eras. Praecordia quando  
 181 vita regit calidoque agitantur sanguine fibrae,  
 182 cur dubitem segura diem promittere faustum  
 183 gentibus Ausoniis ? Rutilos jam cernere currus,  
 184 jam nivei candoris equos phalerisque superbos,  
 185 jam strepitum videor comitum sentire tuorum,  
 186 auribus erectis stans semper, si quis Etrusca  
 187 parte sonans "Tuus ille redit" mihi nuntius adsit.  
 188 Ergo rubere genas fluxos et in ordine crines

189 colligere incipio, maesto manantia planctu  
 190 uda supercilia abstergens. Nec sola placere  
 191 artibus his studeo, sed et ipsa sororibus orno  
 192 permulcens studiosa comas ac talibus hortor :  
 193 "Accipite o mundi dominum, qui longe revertens,  
 194 certa salus patriae, Latio suspiria pellet.  
 195 Illae autem herbosos colles et littora passim  
 196 complerunt vallesque cavas, pars rupibus altis  
 197 prominet, ac vultus avide spectare serenos  
 198 obsedere vias intentaque lumina servant.  
 199 Cum primum, ducente deo, transcenderis Alpes  
 200 Italiaeque tuae pulcherrima culta tenebis,  
 201 occurrent miranda animis, speciesque locorum,  
 202 effigies hominum, tepidi clementia veris,  
 203 blandaque temperies, nec frigore pulsa nec aestu,  
 204 teque novum aspiciens intrasse fatebere mundum.  
 205 Urbibus exhaustis omnes diffusa per agros  
 206 agmina devotas tollent ad sidera voces  
 207 certatim nomenque sacrum celebrare juvabit.  
 208 Tunc vere benedictus eris benedictaque talem  
 209 quae peperit genetrix : tantum ut videare profecto  
 210 laetior et tantum te te felicior ipso,  
 211 quantum pura oculis oriens post nubila lux est.  
 212 Sed quia perpetuus mentem timor angit amantis  
 213 admoneo metuensque precor ne nostra per urbes  
 214 gaudia distuleris rebus distractus amoenis.  
 215 Janua nam quamvis primis in finibus aestans  
 216 limine te excipiat, placeatque Placentia forsan,  
 217 alliciatque bonis redimita Bononia tantis,  
 218 filia vel quamvis moveat mea pulchrior illis  
 219 floribus et vario renitens Florentia cultu,  
 220 innumeraeque aliae, nulla hinc obliviam surgant  
 221 conjugis antiquae, qua non formosior ulla  
 222 aut erit aut visa est, modo sim te laeta recepto.  
 223 Jamque age pelle moras : tibi summa cacumina montes  
 224 inclinent nullusque viae labor obstet eunti  
 225 ac bene pacatas substernat classibus undas  
 226 aequor et impellant placidi tua carbasa venti.

AD ENEAM SENENSEM.

P1\_03 v.1 Per juga Parnasi scandentem summa videbis  
 2 Aeneam, missamque feres sibi jussa salutem ;  
 3 post gravidum gemitu narrabis, epistola, carmen :  
 4 nam dabit is facilem nostris sermonibus aurem.  
 5 Heu mihi ; quam longe traxerunt stamina vitae  
 6 insignes feritate deae ! Quod flebile sidus,  
 7 ut mala conspicerem, vivaces protulit annos !  
 8 Quo lacrimas de fonte traham ? Suspiria dignis  
 9 nectere quis valeat numeris, patriaeque ruentis  
 10 infandum excidium meritis aequasse querelis ?  
 11 O utinam mihi cuncta forent resonantia membra  
 12 vocibus humanis, aut ferrea lingua, dolores  
 13 ut mundus sentire meos ac tristia posset  
 14 murmura ! Verum animam vox deserit ipsa, nec unde  
 15 incipiam novi, fateor. Proh fata ! pudendis

16 angimur imperiis patimurque in viscera passim  
 17 nostra triumphatos fractosque accingier enses.  
 18 Ah, pudeat mundi dominam, Fortunam, maligni  
 19 servitii damnare jugo manibusque, revinctas  
 20 quas totiens post terga dedit, tentare potentem  
 21 Ausoniam, ducibus penis flendamque severo  
 22 Hanibali, siccisque oculis quam nulla videret  
 23 Barbaries Gallis subjectam ferre tributum !  
 24 Quorum, siqua fides, tumuerunt saepe cruore  
 25 flumina, caeruleae rubuerunt saepe puellae,  
 26 fervidus infestam dum frangit Julius iram,  
 27 et fera dum validis rabies contunditur armis.  
 28 Nec satis est nymphas faunosque agrestia priscis  
 29 Numina, quin ipsum facimus quoque Nerea testem.  
 30 Namque, pererrate ut ventum est ad limina terrae,  
 31 ingredimur pelagus, patrioque in gurgite magnus  
 32 horruit Oceanus Romani verbera remi  
 33 atque sepulcra dedit fulvis miseranda Britannis.  
 34 Quid referam hostili positas in littore turres  
 35 oppidaque et victis minitantes civibus urbes,  
 36 Italicae virtutis opus, monumentaque nostri  
 37 Caesaris, aeternum imperii testantia nomen ?  
 38 Torquatum transire libet, ne sanguinis ista  
 39 sit laus et partem cedat victoria famae  
 40 majorum cineri. Juvat hinc tacuisse Camillum  
 41 et quem nigra virum volucris contexerat, et te,  
 42 tertia qui revehis spoliato ex hoste trophea  
 43 suffigens ad templa Jovis, Marcelle, silebo.  
 44 Rusticus Arpini Marius, qui vomere collem  
 45 scindere et inculto tellurem vertere rastro  
 46 doctus erat, saevum ut tetigit manus aspera ferrum ;  
 47 quas strages ! Notum ut faceret nempe Itala bello  
 48 rusticitas quantum externa praestantior omni  
 49 nobilitate foret. Sed nunc heu ! cuncta retrorsum  
 50 ire parant : pulchrum veluti surgentibus austris  
 51 eripiat nox caeca diem, nec cognita nautis  
 52 Ursa nec astrigeri splendescant lumina caeli.  
 53 O pudor, o plus quam pudor ! En hoc tempore surgit  
 54 in dominum servus, patroni in colla cruentus  
 55 libertus : vulgare odium, post verbera semper  
 56 acrior ardescit famulus. Quis carcere lapsum  
 57 custodem rectis cernentem vidit ocellis ?  
 58 Taurus ab invisio furtim distractus aratro  
 59 optat aratorem torvus, dum cornibus ornos  
 60 verberat et magnis complet mugitibus auras.  
 61 Ante petet Libycas Syrtes densissimus Atlas  
 62 Caucaseumque caput fluctus perfundet Hiberus,  
 63 ante aquilam blandae vincent feritate columbae,  
 64 et cornix pluma niveos transcendet olores,  
 65 quam, dum serviles meditatur saepe catenas,  
 66 flagraque dum subeunt mentem virgasque tremiscit,  
 67 furcifer, in frontem, metuat nisi tristis, herilem  
 68 liventesque humeros laxataque brachia vinclis  
 69 non moveat, seu justa trucem reverentia tangat  
 70 et nocet interdum, felicia tempora postquam  
 71 cesserunt, rebus nimium affluxisse secundis.  
 72 Namque, abeat fortuna licet, mansura superstes  
 73 invidia exercet lapsos fragmentaque fati

74 atterit, exhausti repetens tormenta favoris.  
75 Nos quoque sentimus veteris dispendia palmae,  
76 undique consurgunt populi poenamque reposcunt,  
77 et, nisi sors obstet celsoque serenus Olympo  
78 Jupiter aspiciat, peragent. Cur gentibus esse  
79 ludibrium domitis miseri properamus et orbis  
80 fabula ? Felicem populum, quem libera dudum  
81 et victrix condebat humus ! Nos vilia busta  
82 barbaricis pedibus jam jam calcanda superbis  
83 expectant. Olim regnorum injusta cupido  
84 urbibus Hesperiae, civilia bella nefasque.  
85 Quorsum abiit ? Quaenam quassis concordia rebus ?  
86 Omnia disparibus rumpuntur foedera votis,  
87 et vitae turbata quies. Vesana magistros  
88 sic quondam invadit rabies, cum fessa procellis  
89 volvitur infelix abies, dumque alter in eorum  
90 nititur, in zephiros alter, neglecta tremendos  
91 incidit in scopulos. Nobis nunc ista Charybdis  
92 imminet : hos scopulos metuo. Discordia nostra  
93 hostibus hoc animi tribuit : tutela periclis  
94 linquitur in mediis, rimisque admittimus undam,  
95 adversis ferimur ventis. Jam naufraga puppis  
96 huc illuc praeceps agitur, nec dextera tantum  
97 laevaue concutitur, penetrat sed prorsus in alvum  
98 jam nimium vicina lues, mediumque molesta  
99 corripuit corpus Latii fibrasque per omnes  
100 ibit, pestifero mox infectura veneno  
101 Tyrrenum Superumque fretum, solemque serenum  
102 mox tenebris clausura novis. Sublimis ab Alpe  
103 ille minax animo jam premetitur avaro  
104 ditia rura procul, qua se pulcherrima rerum  
105 porrigit Hesperia armipotens : circumspicit urbes  
106 instar regnorum, quarum vix nomina quisquam  
107 scire queat, castella manu tot structa magistra,  
108 sidera quot caelo pelagoque feruntur arenae.  
109 Marmoris hunc varii congesta palatia tangunt,  
110 moeniaque in nubes solidis subvecta columnis.  
111 Obstupet omnigenum venis fulgere metallum  
112 aspiciens portusque maris per utrumque cavatos  
113 anfractum, Cererem campis et rupe Lyaeum  
114 pendentem aerea, gravidis sub vitibus ulmos  
115 inflexa cervice premi. Videt ille boumque  
116 cornipedumque greges pratis errare, volantum  
117 aetheris et placidi spatium montanaque Tempe,  
118 atque lacus stagnantis aquae fontesque salubres  
119 invalidis, nitidos et opacis vallibus amnes,  
120 dulcia poma legens, divine frondis odorem  
121 omnibus in lucis miratur nescius. Alma  
122 sed nihil in patria magis admirabile cernit  
123 quam studium, mores hominumve habitataque multo  
124 corda deo, ignavos aegre passura tyrannos.  
125 Haec facies rerumque decor dulcedine captum  
126 impellunt glomerantque avido sub pectore flammam  
127 incenduntque sitim. Nihil illum sacra videndi  
128 corpora, nil patrum tumulos, nil sanguine tincta  
129 innocuo loca movit amor. Terrena supernis  
130 sceptrata etenim potiora putans, extendere fines  
131 tegmine sub pacis rapidus lupus inchoat. Alte



132 crescere ab exiguis radicibus orta cupressus  
 133 perniciesque solet. Non hic, mihi crede, quiescet :  
 134 longius aspirat funesta injuria, quae nunc  
 135 invasit vere desertae moenia Lucae.  
 136 Quid loquor ? Ah demens ! Forsan patet una salutis  
 137 haec via, quae mores referat jam sera vetustos.  
 138 Certe animo spes una sedet : fors impia bella  
 139 cessabunt, subitum pigeat dum cernere regem,  
 140 num gladios ac pila tenet, quis terruit orbem,  
 141 Itala posteritas, exemplis dives avorum ?  
 142 Non tulit imbellis numerosum Graecia Xerxem  
 143 aut Darium : Thamyris Persarum colla secare  
 144 imperiosa ducis nati non funere fracta  
 145 substitit aut sexu, facinus pregressa virile.  
 146 Nos ubi ? Quo virtus ? Seu quo mavortius ardor ?  
 147 Quis vetat aut armare manus aut volvere campis  
 148 quadrupedes ? Caelo quis tela ? Quis aequore classes ?  
 149 Qui, velut oblitus generis, solumque beatum  
 150 et regem et dominum toto se jactat in orbe,  
 151 mille illic reges (virtus diadema perenne  
 152 fert equidem) inveniet discetque haud falsa locutum  
 153 Cineam forti, quamvis male credita, Pyrrho :  
 154 cautius ut fuerat silvis captare fugaces  
 155 more patrum cervos belloque laccessere damnas  
 156 quam pede vulnificos excire ac dente leones !  
 157 Nam si longaevo disponit retia somno  
 158 sopitosque parat circumdare, fallitur : et nos  
 159 pervigiles fecit, solitamve aliquando removit  
 160 segnitiam vulnusque recens sensusque doloris.  
 161 Erratum satis est : veniet modo laetius aevum,  
 162 ut cogar lentis tum demum ignoscere Parcis,  
 163 visurusque iterum Romanos ire triumphos  
 164 trans Rhenum et Latio possessas milite ripas,  
 165 Sequanae quas stringit, quas abluit unda Garumnae,  
 166 exposcam tremulae longissima fila senectae.  
 167 Sed metus interea stimulat, qui semper amori  
 168 est comes, atque procul Rhodani semotus ad arva  
 169 palleo longinquaе prospectans fata parentis,  
 170 haud aliter quam si caram stans litore matrem  
 171 aspiciam mediis jactatam maestus in undis.  
 172 Spes igitur mixtusque pavor, quia tristia laetis  
 173 alternant, mixtis claudatur littera verbis.  
 174 Incertum est laeter, doleam, sperem metuamve :  
 175 tam varia excruciant trepidum praesagia pectus.  
 176 Jamque vale ; et, siquid monstrant tibi fata, resolve,  
 177 solamen dubio gratum laturus amico.

AD DYONISIUM DE BURGO SANCTI SEPULCRI S.

P1\_04 v.1 Si nihil aut gelidi facies nitidissima fontis  
 2 aut nemorum convexa cavis arcana latebris,  
 3 ac placidis bene nota feris Dryadumque catervis  
 4 et Faunis accepta domus, nihil ista poetis  
 5 oportuna sacris sub apricis rupibus antra  
 6 permulcent animum ; nec clementissimus aer  
 7 allicit ac montis praeruptus in aethera vertex

8 liberiore situ liquidas extentus ad auras ;  
9 collibus aut Bromius frondens, aut silva Minervae  
10 gratior aut Veneri ; nec utramque tegentia ripam  
11 Herculeis umbrosa comis distinctaque subter  
12 floribus innumeris et dulce virentibus herbis  
13 prata trahunt oculos ; aut hic qui separat arva  
14 atque soporifero Clausam qui murmure Vallem  
15 implet inexhausto descendens alveus amne,  
16 et videt hinc illinc nympharum mille choreas,  
17 Musarumque audit totidem per littora cantus,  
18 nil movet ; aut turtur morientem raucus amicam  
19 dum gemit, has caram inferias quasi mittat ad umbram ;  
20 aut fatum Philomena ferum linguamque revulsam  
21 ereptamque pudicitiam, Tereumque superbum  
22 dum canit, atque altae frondosa pendet ab ulmo  
23 ingeminans lacrimosa piam dulcemve querelam  
24 et noctes agit insomnes refugitque quietem ;  
25 aut quae sub lucem volitans rabiemque mariti  
26 et facinus miseranda suum casumque sororis,  
27 funus et immeritum nati, simul omnia plangit,  
28 maternum memori pectus maculata cruore,  
29 et medias operosa domos atque atria semper  
30 circuit, accelerans velut hostem cernat hirundo :  
31 si nihil ista movent, nec te Narcissus hianti  
32 plurimus ore puer, faciem qui fonte decoram  
33 miratur speculoque amens incumbit aquoso ;  
34 nec juvat Acteon per devia confraga silvae  
35 cornibus arrectis fugiens sociosque canesque ;  
36 nec quae purpureum patris secuisse capillum  
37 dicitur, assurgens tremulo sub nubila cantu,  
38 ut procul ultorem speculetur ab aethere Nisum ;  
39 nec raptam Hesperiem memorans, qui littore ab alto  
40 mergitur assidue mortemque optare videtur ;  
41 nec Jovis aethereus scopulis stans armiger istis  
42 annua venturis reparansque cubilia natis :  
43 praeterea si noster amor pietasque rogando  
44 non potuere patris rigidum flexisse parumper  
45 propositum, fixamque adeo convellere mentem,  
46 otia Romanis opibus quod nostra relictis  
47 aspiceres, paucis quod limina fida diebus  
48 ingressu dignata boni pedibusque magistri,  
49 cernere solivagum velles miseratus amicum :  
50 tot nostrae periere preces ; en ultima tandem  
51 injectura manus ; haec duro vincula cordi  
52 afferet ac valido cunctantem huc pertrahet unco.  
53 Populus est ingens vitreo contermina fonti,  
54 quae simul et fluvium et ripas et proxima campi  
55 jugera ramorum densa testudine opacat.  
56 Hic olim multaque loci dulcedine captum  
57 et rerum novitate oculos animumque movente  
58 aggere florigero magnum posuisse Robertum  
59 membra diu lassata ferunt, curisque gravatum  
60 pectus et exigui laudasse silentia ruris.  
61 Cum consors regina tori, cui nulla dearum,  
62 seu formae certamen erit, seu sanguinis almi,  
63 auferet emeritam justo sub indice palmam,  
64 conjugue quin etiam spoliata Clementia magno  
65 tunc aderat, procerumque chorus magnumque virorum

66 agmen et egregiis acies conferta puellis.  
67 Dumque alii per prata vagis levibusque recursant  
68 passibus et ludos ineunt manibusve recentes  
69 contrectare juvat latices comitumque per ora  
70 Spargere : pars densos properant invisere saltus  
71 et canibus turbare feras, pars piscibus hamos  
72 implicat, aut longo distendit retia jactu :  
73 pars bibit et leni propellit taedia Baccho :  
74 ast aliis placitum nunc sternere fessa per herbam  
75 corpora, nunc oculos tenui componere somno :  
76 solus agens curas alias sub mente profunda,  
77 Rex erat, et frontem defixaque lumina terrae  
78 servabat, sive ille rei jam volvere causas  
79 ceperat, et secum tacitus quo sidere tantus  
80 surgeret, unde iterum subsisteret impetus amnis  
81 vestigabat, et immensae telluris in alvum,  
82 ingenio monstrante aditum, penetrabat anhelus  
83 noscendique avidus ; seu tunc altissima verba  
84 Fortunae dabat ille suae : " Quid dulcia falso  
85 suggeris et facili blandiris, perfida, vultu ?  
86 Mortalem memini fore me, licet omnis ad unum  
87 deferat unanimi mundus diadema favore.  
88 Et tibi rara fides maneat quantumque Metello  
89 sis nobis bene fida diu, tamen omnia mors haec  
90 auferet, atque uno franget tua dona sub ictu.  
91 Flumina nulla quidem cursu levioere fluunt quam  
92 tempus abit vitae ; superant tamen illa per aevum  
93 de scatebris renovata suis. Nos vita relinquens  
94 quo fugit ? Unde umquam posthac reditura fuisset,  
95 ni Domitor mortis, qui quondam Tartara victor  
96 ingressus rediit, clauso sua membra sepulcro  
97 vi repetens, secumque trahens felicia patrum  
98 agmina, et exhaustas longis cruciatibus umbras  
99 abstulit ad superos, minuisset corde pavorem,  
100 spemque resurgendi post funera nostra dedisset".  
101 Haec sapiens rex cuncta animo fortasse movebat ;  
102 vel, memor indigne fraudis, Scyllam atque Charybdim  
103 littore qua Calabro Siculas disterminat oras  
104 pontus et horrisona refluens intersecat unda,  
105 magnanimus parvo pingebat flumine, dignum  
106 supplicium Eolio minitans ac triste tyranno.  
107 Denique, quicquid erat, nihil id nisi grande putandum est  
108 et super humanum ingenium, quod tantus agit vir,  
109 cujus adhuc memores viridi vestigia ripa  
110 ruricolae ostentant et agrestum vulgus adorat.  
111 Si potes, ergo, mane ! Si non potes, o mihi luce  
112 carior, atque ideo multum, pater optime, frustra  
113 exoptate, veni, non me, sed amoena verendi  
114 nondum fracta annis spectare sedilia regis  
115 quae digito monstrabit ovans gens illa nepotum  
116 et mundus, mihi crede, alio celebrabit honore,  
117 postquam pulsa retro praesens haec cesserit aetas.

## AD BENEDICTUM XII PONT. ROM. S.

P1\_05 v.1 Exul inops horrensque habitu despectaque nuper  
 2 femina, summe patrum, tua sancta ad limina supplex  
 3 procubuit (tum forte aderam). Comes ulla viarum  
 4 non erat, heu nil ausa fides ! Et tristis amicos  
 5 abstulerat fortuna suos. Jam justa precari  
 6 ceperat et vacuam dederas jam questibus aurem.  
 7 Admirans, praesaga hominum natura ! Videbar  
 8 matronam mihi nosse sacram : namque horrida primo  
 9 congressu licet et canos incompta vagantes,  
 10 alma tamen facies multo venerabilis aevo  
 11 plurima servabat sortis monimenta vetustae.  
 12 Nil quoque plebeium, nil vile, sonantia verba  
 13 argumentum animi ; et generoso spiritus ore  
 14 scintillans. Quae summa viae, quae causa gemendi,  
 15 unde ageret sese, nomen, patriamque genusque  
 16 quaerere mens fuerat, quod cum sermone Latino  
 17 junctus erat latius senio jam tritus amictus.  
 18 Ter fuit in foribus, sed ter reverentia vocem  
 19 continuit : maesto interea sub murmure nomen  
 20 Roma erat, insonuit. Stupui quorsumve secundis  
 21 fidendum exemplo didici, quo clarius usquam  
 22 nulla dies habuit. Nam quamvis cuncta rotare  
 23 regna potens vario soleat fortuna favore,  
 24 et servos ad sceptrum levet, solioque tyrannos  
 25 praecipitet, nihil illa tamen manifestius umquam  
 26 edidit, ut rerum dominam cognoscere possis,  
 27 quam dum tot partas bellis tantoque labore  
 28 Romuleas evertit opes, caput abstulit orbi.  
 29 Graecia verborum genetrix laudumque magistra  
 30 tollat ventosos duces, vatumque fatiget  
 31 ingenia. Aeacides, praecone superbus Homero,  
 32 Maeonio ex calamo facilem sibi fecerit hastam ;  
 33 Amphitryoniam sacris et ture salutent  
 34 ad caelum ferant Thebae ; Lacedaemone fratres  
 35 Ledaeos nitidis populi favor ingerat astris ;  
 36 impia regna Jovem, pulsum fuga sola parentem  
 37 nobilitet ; sensu Nestor senioque verendus,  
 38 Codrus amans patriae fuerit, gnarusque futuri  
 39 Tiresias ; hausto famosus sanguine divae  
 40 Tydides ; raptis vellere clarus Iason ;  
 41 tigris invectus rapidis thyrsusque coruscans  
 42 Liber ad extremos victor pervenerit Indos ;  
 43 Atridas sua fama canat notosque furore  
 44 Ajaces ; Ithacumque dolis pelagique bilustri  
 45 circuitu nomenque vagis erroribus addat.  
 46 Cynigerum morsu illustrem, clarumque loquantur  
 47 Miltiadem Marathone sua, natumque catenis  
 48 conspicuum et tanto redimentem busta parenti.  
 49 Sint quoque magnanimi juvenis laudata sub arctis  
 50 prandia Thermopylis, torrensque Themistoclis aura  
 51 e Salaminico surgat sale : blanda sub armis  
 52 lingua Pisistratum commendet, nuda Periclen :  
 53 Tydea prompta manus, doctum experientia belli  
 54 Longa Philopemen celebret, ducibusque supremis  
 55 misceat : Elysios censores clara coronet  
 56 justitia : extincti serpentis fabula Cadmum :

57 forma decens Alcibiadem ; silvisque diserte  
58 Thesea Tartareis reducem venerentur Athenae.  
59 Adde duces Phrygios, accendant Dardanus ac Tros  
60 et Priami cantata domus, placet addere reges  
61 Assyrios Persasque simul Cyrumque cruore  
62 undantem fluxamque Pharon, placet addere siccam  
63 barbariem terrasque sequi, qua pendet ad austrum  
64 Orbis et ignotas latebris convellere gentes.  
65 Hannibalem male fida suum fratresque patremque  
66 insignem bello, atque alium cognomine Martem  
67 Carthago ter victa iterum transmittat in arma.  
68 Quid Libyae populosque loquar turmasque fugaces  
69 occiduumque diem ? Calpem totamque revolve  
70 Hesperiam : furtoque diu raptoque probatus  
71 dux placeat bello, vix de tot milibus unus.  
72 Hinc feror Oceano, qua nobilis insula vivum  
73 praedicat Arturum : et quicquid sibi fabula mendax  
74 persuadet : silvas, fontes mirandaque vulgo  
75 proelia et insanos equitum decantat amore  
76 Gallia, qua magnum Carolum, duodena virorum  
77 praesidia et regnum tot opimis dotibus auctum  
78 ostentat longaque jacet jam fessa quiete.  
79 Hinc et Germanos populos omnemque sub arto  
80 mortis amatorem liceat perquirere : quicquid  
81 invenies, ubicumque jacet, Macedumque pererra,  
82 finibus et juvenem horrendum patremque Philippum  
83 elice : cunctorum post acta recollige. Certe  
84 Romanas citra laudes, te iudice, multum  
85 subsistent, ni fallat amor. Spectanda triumphis  
86 haec olim innumeris mulier, nunc orba verendis  
87 conjugibus, geminae exemplum memorabile mundo.  
88 Fortunae, portus miseris scopulusque superbis,  
89 ludibriumque eadem cunctis, modo maesta peregit  
90 ante pedes sua verba tuos. Memor omnia servas.  
91 Te tamen illa gravis tum quaestio forte tenebat :  
92 carcere corporeo et mortalibus eruta vinclis  
93 quid videat bene nata cohors ; cessante serenum  
94 nube jubar faciemque Dei, seu cernere pure  
95 corpora dum fractis surgent rediviva sepulcris,  
96 nec prius incipient. Sed dum vigil omnia librans,  
97 singula dum relegens per mille volumina curris,  
98 responsi dilata dies accendit amorem,  
99 suspenditque hominum mentes dubiasque reliquit.  
100 En modo tempus adest. Jam quaestio longa quievit  
101 consilio sopita tuo, jam Roma futuri  
102 anxia te sponsum repetit, te cuncta parentem  
103 Italia exspectat. Succurre precantibus ultro.  
104 Sic videas toto Christum celebrarier orbe,  
105 te magnum pascente gregem : sic sacra deorum  
106 et simulacra ruant : sic, te duce, victa fatiscat  
107 falsa superstitio et nullas caligine mentes  
108 occupet. Alma fides et amor tranquillaque terris  
109 pax vigeat, toto cedat pirata profundo :  
110 cedat pestis aquis, cedant contagia caelo.  
111 Sit felix successus agris, sint laeta per urbes  
112 otia, sit vulgo virtus formosior auro,  
113 paupertate magis scelus omne et morte timendum.  
114 Videris ista senex, postquam laudandaque retro

115 tempora respiciens, tunc sit tibi lenis ad astra  
 116 transitus. Hic aeternus honos, ibi visio summi  
 117 plena boni, cui suspirat plebs illa fidelis,  
 118 Hierusalem, peregrina exul noctemque diemque,  
 119 quae requies lassis mercesque erit ampla laborum.

AD IACOBUM DE COLUMNA S.

P1\_06 v.1 Quid faciam, quae vita mihi rerumque mearum  
 2 qui status est, audire petis. Nec vera silebo,  
 3 nec tibi ficta loquar, mihi nam loquor. Absit inanis  
 4 gloria, nil cupio, contenta est vita paratis.  
 5 Hoc primum placitis mecum concordat egestas  
 6 aurea foederibus, non sordida nec gravis hospes.  
 7 Si libet, exigui fines mihi servet agelli  
 8 angustamque domum, et dulces fortuna libellos ;  
 9 cetera secum habeat ; vel, si libet, omnia nullo  
 10 auferat hinc strepitu, sua sunt. Non rura requiro  
 11 divitiasque patris, pondus grave celsa petenti,  
 12 vinclaque dura animi et cunctorum alimenta malorum :  
 13 Cirrhaeas non tangat opes neu nostra lacessat  
 14 otia, sollicito non ambitiosa paratu.  
 15 Nil usquam invideo, nullum ferventius odi,  
 16 nullum despicio nisi me ; licet hactenus idem  
 17 despicerem cunctos et me super astra levarem.  
 18 Sic res humanae volvuntur. Plurima quid sim  
 19 jam documenta habeo, nisi me mea somnia fallunt.  
 20 Nam mihi quid confert Musarum in fonte parumper  
 21 lenivisse sitim, si me sitis altera major  
 22 urit et aeternum subter praecordia saevit ?  
 23 Quidve Helicone juvat recubantem saepe profundo  
 24 eminus insanos vulgi risisse labores,  
 25 si labor alter habet, cui merces nulla quiesve ?  
 26 Quid facies praeclara juvat, si turbida mens est ?  
 27 Multa quidem meritasque deo pro munere laudes  
 28 pendere non nostrae, fateor, fiducia linguae est.  
 29 Sunt quae felicem facerent, nisi forte maligna  
 30 roderet infaustum pectus sua cura perennis.  
 31 Jamque genas spectare tuas pietate madentes  
 32 hinc videor, longo bene si mihi cognitus usu es.  
 33 Sed quia more patris nostra omnia nosse volebas,  
 34 urget amor calamum, nec fas obstare jubenti,  
 35 eloquar, et tu consilio fortasse juvabis,  
 36 et mihi dulce gravi mentem exonerare querela.  
 37 Est mihi post animi mulier clarissima tergum,  
 38 et virtute suis, et sanguine nota vetusto,  
 39 carminibusque ornata meis auditaque longe.  
 40 Sed redit in frontem et variis terroribus implet  
 41 insultans, nec adhuc solio cessura videtur.  
 42 Artibus haec nullis, sed simplicitate placendi  
 43 ceperat olim animum et rarae dulcedine formae.  
 44 Jam duo lustra gravem fessa cervice catenam  
 45 pertuleram, indignans tantum in mea colla tot annis  
 46 femineo licuisse jugo. Jam tabe latentis  
 47 confectus, jamque alter eram, jam fomite molli  
 48 ignis ad extremas penetraverat usque medullas :

49 optabamque mori vixque arida membra ferebam,  
50 libertatis amor miseri dum pectus amantis  
51 cepit et adversas cordi suffigere curas,  
52 erigor et multa juga vi convellere nitor.  
53 Durum opus eventu dominam pepulisse decenni  
54 hospitio et fractis hostem tentasse potentem  
55 viribus : aggredior tamen et Deus ipse labori  
56 affuit, et collum veteri dissolvere nodo  
57 praebuit, ac tanto victorem evadere bello.  
58 Inicit illa manum profugo dum saucia servo.  
59 Incursatque dolens, oculos dum dulce micantes  
60 instruit et facibus tectis et cuspide blanda,  
61 heu quotiens coepto dubium procumbere calle  
62 compulit ! Ergo iterum quid agam ? Quibus artibus illi  
63 occurram ? Vincla illa iterum asperiora parabat.  
64 Diffugio totoque vagus circumferor orbe,  
65 Adriacas Tuscasque ausus sulcare procellas,  
66 ereptumque jugo caput hoc committere cymbae  
67 non veritus tremulae : quid enim properata noceret  
68 mors mihi suppliciis victo vitamque peroso ?  
69 Vertor ad occasus et me Pyrenaeus ab alto  
70 vidit in aprico latitantem gramine vertex :  
71 vidit et Oceanus, qua sol defessus eundo  
72 abluit hesperio fumantes gurgite currus,  
73 quaque Medusaeo duratum lumine montem  
74 prospiciens longam celsis de rupibus umbram  
75 proicit et Mauros festina nocte recondit.  
76 Hinc Arcton Boreamque petens et dissona linguae  
77 murmura, solus eo, dubias qua turbida terras  
78 aestibus ambiguus pelagi terit unda Britanni :  
79 quaque solum glaciale jacens non sentit amici  
80 vomeris obsequium, Bromiumque a collibus arcet  
81 et Cererem, sterili vix hospita terra mirycae.  
82 Quid mihi restabat, nisi solis adusta sequentem,  
83 serpentum subiisse domos, immania rura,  
84 et procul Aethiopes medio vidisse sub axe  
85 nigra per ardentem nudantes terga Leonem,  
86 aut ignoratum per tot jam saecula Nili  
87 quaesitumve caput, quonam telluris opacae  
88 abdiderit natura sinu ? Lentescere fluctus  
89 absentis cepere animi, dolor, ire metusque,  
90 humida tranquillus mox lumina claudere somnus  
91 rarus, et insolita risus splendescere fronte.  
92 Jam minor occursu, minus imperiosa relictæ  
93 sensibus in nostris obversabatur imago.  
94 Heu heu quid referam ? Sed cogis. Acerba videbar  
95 vulnera et insani stimulos jam tutus amoris  
96 temnere, fallebat leviter super aucta cicatrix.  
97 Et requies insueta mali. Tentoria vello  
98 ac certam ad mortem redeo : sic fata premebant  
99 impia, sic animum, sic me meus error agebat.  
100 Vix bene constiteram dilectæ finibus urbis,  
101 dum subiit vacuum curarum sarcina pectus  
102 illa prior : rediere trucis contagia morbi.  
103 Quid loquar ? Unde miser lacrimas narrare secundas  
104 incipiam ? Quis credet enim ? Qua carminis arte  
105 expediam, quotiens precibus deposcere mortem  
106 me dolor impulerit, quotiens graviora parare,

107 quos mihi libertas iterum quaerenda labores  
108 attulerit ? Subsistam igitur. Verum ultima tandem  
109 postquam cervici ceciderunt vincula nostrae,  
110 omnis ad arma fugae spes est mihi versa, nec unquam  
111 navita nocturnum scopulum sic horruit, ut nunc  
112 illius et vultus et verba moventia mentem,  
113 et caput auricomum, niveique monilia colli,  
114 atque agiles humeros oculosque in morte placentes  
115 horreo. Numquid ego admittam, quo tertia demum  
116 irato facienda deo sint irrita vota,  
117 dimidium ut sacro suspendam limine remum,  
118 seu tunicae fragmenta udae ? Tum cerea nostri  
119 corporis effigies trabibus subsidat eburnis,  
120 supplicis in morem acclinis ? Comitantibus ergo  
121 his animum curis, dum singula mente revolveo,  
122 hoc procul aspexi secreto in littore saxum :  
123 naufragiis tutumque meis aptumque putavi,  
124 huc modo vela dedi, nunc montibus abditus istis  
125 flens mecum numero transacti temporis annos.  
126 Insequitur tamen illa iterum et sua jura retentans  
127 nunc vigilantis adest oculis, nunc fronte minaci  
128 instabilem vano ludit terrore soporem.  
129 Saepe etiam (mirum dictu) ter limine clauso  
130 irrumpit thalamos media sub nocte repositans  
131 mancipium securam suam : mihi membra gelari  
132 et circumfusus subito concurrere sanguis  
133 omnibus ex venis tutandam cordis ad arcem.  
134 Nec dubium, si quis radiantem forte lucernam  
135 ingerat, horrendus quin pallor in ore jacentis  
136 emineat, multumque animae nova signa paventis.  
137 Expergiscor agens lacrimarum territum imbrem,  
138 excutiorque toro, necdum Tithonia sensim  
139 candida lucifero conjunx prospectet ab axe  
140 operiens, suspecta domus penetralia linquo  
141 et montem silvasque peto, circumque retroque  
142 collustrans oculis, siquae turbare quietum  
143 venerat incumbens eadem prevertat euntem.  
144 Invenient vix verba fidem. Sic salvus ab istis  
145 eruar insidiis, ut saepe per avia silvae  
146 dum solus reor esse magis, virgulta tremendam  
147 ipsa repraesentant faciem, truncusque repostae  
148 ilicis et liquido visa est emergere fonte,  
149 obviaque effulsit sub nubibus, aut per inane  
150 aeris, aut duro spirans erumpere saxo  
151 credita, suspensum tenuit formidine gressum.  
152 Hos mihi nectit amor laqueos, spes nulla superstes,  
153 ni deus omnipotens tanto me turbine fessum  
154 eripiat, manibusque suis de faucibus hostis  
155 avulsum hac saltem tutum velit esse latebra.  
156 Hactenus haec, sed plura cupis. Nunc cetera vitae  
157 accipe cunctorum breviter distincta dierum.  
158 Est mihi cena levis, cui condimenta famesque  
159 et labor, et longi praestant jejunia solis.  
160 Villicus est servus, mihi sum comes ipse canisque,  
161 fidum animal ; reliquos locus hic exterruit omnes.  
162 Unde cupidineis telis armata voluptas  
163 exulat atque frequens opulentas incolit urbes.  
164 Hic mecum exilio reduces, statione repostae,



165 Pierides habitant, rarus superadvenit hospes,  
166 nec nisi rara vocent noti miracula fontis.  
167 Vix mora nostra quidem, licet annua, bisve semelve  
168 congregat optatos Clausa sub Valle sodales.  
169 Sic pietas est victa locis, at crebra revisit  
170 littera ; me longa solum sub nocte loquuntur  
171 ante ignem ; gelidas me solum aestate per umbras ;  
172 sermo diurnus eis : idem sum fabula pernox.  
173 Nil coram conferre datum ; dumeta nivesque  
174 exhorrent nostrasque dapes, jamque, urbe magistra,  
175 mollitiem didicere pati. Me dura professum  
176 destituere pii comites servique fideles.  
177 Et siquos attraxit amor, ceu carcere vinctum  
178 solantur, fugiuntque citi. Mirantur agrestes  
179 spernere delicias ausum, quam pectore metam  
180 supremi statuere boni, nec gaudia norunt  
181 nostra voluptatemque aliam, comitesque latentes,  
182 quos mihi de cunctis simul omnia saecula terris  
183 transmittunt lingua, ingenio, belloque togaque  
184 illustres ; nec difficiles, quibus angulus unus  
185 aedibus in modicis satis est ; qui nulla recusent  
186 imperia, assidueque adsint et taedia nunquam  
187 ulla ferant, abeant jussi redeantque vocati.  
188 Nunc hos, nunc illos percontor, multa vicissim  
189 respondent et multa canunt et multa loquuntur.  
190 Naturae secreta alii, pars optima vitae  
191 consilia et mortis : pars inclita gesta priorum :  
192 pars sua, praeteritos renovant sermonibus actus.  
193 Sunt qui festivis pellant fastidia verbis  
194 quique jocis risum revehant : sunt omnia ferre  
195 qui doceant, optare nihil, cognoscere sese :  
196 sunt pacis, sunt militiae, sunt arva colendi  
197 artifices, strepitusque fori pelagique viarum.  
198 Dejectum adversis relevant, tumidumque secundis  
199 compescunt, rerumque jubent advertere finem,  
200 veloces meminisse dies vitamque fugacem.  
201 Proque tot obsequiis pretium leve : limen apertum  
202 convictumque petunt, quibus hostis rara per orbem  
203 hospitia et segnes fortuna reliquit amicos.  
204 Vix usquam admissi trepidant, atque atria ducunt  
205 quaslibet interea latebras, dum frigida cedant  
206 nubila, Pieria studiorum aestate reversa.  
207 Non lapides calcemque tegant aulaea necesse est  
208 Serica, seu calida fument nidore popinae.  
209 Non cava multifido famulum tonet aula fragore,  
210 splendida dum crebris celerant convivium mensis.  
211 Sobria turba coit proprio contenta, suasque  
212 quae mecum partitur opes, fessumve cubili  
213 solatur roseo et mensa dignatur egenum  
214 atque cibus reficit sacris et nectare dulci.  
215 Nec solum comes esse domi, sed prompta per omnes  
216 ire simul saltus ac prata domestica nymphis,  
217 et vulgus querulum atque urbes odisse sonoras.  
218 Saepe dies totos agimus per devia soli  
219 inque manu calamus dextra est, at carta sinistram  
220 occupat, et variae complent precordia curae.  
221 Imus, et ah quotiens ignari in lustra ferarum  
222 incidimus, quotiens animum dimovit ab alta

223 cura avis exigua et post se importuna retorsit !  
 224 Tum gravis est, si quis medio se callis opaci  
 225 offerat, aut si quis submissa voce salutet  
 226 intentumque aliis majoraque multa parantem.  
 227 Et juvat ingentis haurire silentia silvae.  
 228 Murmur et omne nocet, nisi dum vel rivus arenae  
 229 lucidus insultat, vel dum levis aura papyrum  
 230 verberat et faciles dant carmina pulsa susurros.  
 231 Saepe moram increpuit, serumque in tecta reverti  
 232 longior admonuit proprii nos corporis umbra,  
 233 interdumque referre pedem nox ipsa coegit  
 234 monstravitque viam et vepres signavit acutos  
 235 Hesperus, aut oriens, Phoebos pereunte, Diana.  
 236 Sic sumus, hoc agimus, gravior si cura quiescat,  
 237 felices laetoque nimis sub sidere nati.

PANEGYRICUS IN FUNERE MATRIS.

P1\_07 v.1 Suscipe funereum genetrix sanctissima, cantum  
 2 atque aures adverte pias, si praemia caelo  
 3 digna ferens virtus alios non spernit honores.  
 4 Quid tibi pollicear, nisi quod velut alta tonantis  
 5 regna tenes Electa dei tam nomine quam re ?  
 6 Sic quoque perpetuum dabit hic tibi nomen honestas,  
 7 Musarum celebranda choris pietasque suprema,  
 8 majestasque animi primisque incepta sub annis  
 9 corpore in eximio nullam intermissa per horam  
 10 tempus ad extremum vitae notissima clarae  
 11 cura pudicitiae : facie miranda sub illa  
 12 jam brevis innocuae praesens tibi vita peracta  
 13 efficit ut populo maneat narranda futuro ;  
 14 aeternum veneranda bonis, mihi flendaque semper.  
 15 Nec quia contigerit quicquam tibi triste dolemus,  
 16 sed quia me fratremque, parens dulcissima, fessos  
 17 Pythagorae in bivio et rerum sub turbine linqvis.  
 18 Tu tamen instabilem, felix o transfuga, mundum  
 19 non sine me fugies, nec stabis sola sepulcro.  
 20 Egregiam matrem sequitur fortuna relictas  
 21 spesque domus et cuncta animi solacia nostri.  
 22 Ipse ego jam saxo videor mihi pressus eodem.  
 23 Haec modo pauca quidem pectus testantia maestum  
 24 dicta velim, sed plura alias ; tempusque per omne  
 25 hac tua, fida parens, resonabit gloria lingua,  
 26 has longum exequias tribuam tibi ; postque caduci  
 27 corporis interitum, quod adhuc viget, optima, sub quo  
 28 vivis adhuc, genetrix, cum jam compresserit urna  
 29 hos etiam cineres, nisi me premat immemor aetas,  
 30 vivemus pariter, pariter memorabimus ambo.  
 31 Sin aliter fors dura parat, morsque invida nostram  
 32 extinctura venit fragili cum corpore famam,  
 33 tu saltem, tu sola precor post busta superstes  
 34 vive, nec immerite noceant obliviae Lethes.  
 35 Versiculos tibi nunc totidem, quot praebuit annos  
 36 vita damus, gemitus et cetera digna tulisti  
 37 dum stetit ante oculos feretrum miserabile nostros  
 38 ac licuit gelidis lacrimas infundere membris.

## AD LELIUM SUUM.

P1\_08 v.1 Contigit exstinctum qui suscitetur ortulus ignem  
 2 dulcia praeteritae renovans suspiria vitae,  
 3 sive tibi verni qui pingunt gramina flores,  
 4 sive per aestatem mediam, dum summa tenet sol,  
 5 umbra frequens, sive autumnus tibi dulcia poma,  
 6 sive tibi aprici placeant sub frigore soles,  
 7 sive magis volucrum dulces per opaca querelae,  
 8 pictaque terga juvent. Illic regina canentum  
 9 Phoebeium Philomena canit, sic parva volucris  
 10 gutture mellifluo superat ; quam saepe per umbram  
 11 dum sequor, aëria latitantem fronde notavi.  
 12 Mira avis effigies, verum sibi reddere nomen  
 13 nescio ; tu lecta fortassis imagine reddes :  
 14 nigra caput, sed glauca latus, sub palmitibus gaudens  
 15 ludere pampineo, non major corporis usquam  
 16 spiritus exigui, et mulcere potentior aures.  
 17 Haec mihi dum tepidam assidue sub corde favillam  
 18 singula concutiunt, incendia nota pavesco.  
 19 Desieram, jam tempus erat, tamen omnia rursus  
 20 contrahit arma dolens aurataque tela Cupido.  
 21 Vidi ego seu levi tergentem spicula saxo,  
 22 seu digito attritae tentantem cuspidis iras ;  
 23 vidi ego letiferos tendentem molliter arcus  
 24 innixumque genu modo cornua curva prementem,  
 25 et modo vulnificos agitantem pollice nervos.  
 26 Quo fugiam ? Quid agam, si nec maria alta, nec Alpes,  
 27 nec longae valuere morae ? Jam lenior aetas  
 28 incipit et pacem pharetratum poscimus hostem :  
 29 abnegat ingeminans bellum, mirumque relatu,  
 30 omnibus ecce locis, atque omnibus improbus horis  
 31 hostis adest volucer : nec me trepidare negabo  
 32 ne vetus ille nova rescindat arundine vulnus,  
 33 tam sibi multa favent. Partes vel sola locorum  
 34 ipsa facit facies ; avium sic cantibus obstat  
 35 aura loquax, gratoque color sic blandus odori,  
 36 frondibus herbarum species et floribus herbae,  
 37 lilia narcisso, violisque rosaria certant.  
 38 Quid loquar aut viridi riparum in gramine molles  
 39 accubitus teneroque leves in gramine somnos ?  
 40 Quid strepitum fugientis aquae flexusque sonoros ?  
 41 Carmina quid dulcesque modos, quos nocte serena,  
 42 quos oriente die, vel quos moriente decora  
 43 concinit angelico trans rivum murmure nymphe  
 44 aethereos motura deos, jaculumque tonanti  
 45 excussura Jovi, rigidumque adamantina modestis  
 46 effractura oculis, laesi quibus ampla potestas  
 47 cordis inest, tacitaeque faces et conscius ardor,  
 48 unde jacet flammam, et tinctas igne sagittas  
 49 ille puer, nostroque levis circumvolat orto.  
 50 Haec meminisse et meminisse juvat, scit cetera nutrix.

## AD AMICUM S.

P1\_09 v.1 Quisquis es, indignam vatium cui flere ruinam  
 2 exiliumque vacat, profugas qui carmine sistis  
 3 Pierides aequasque gravem sermone dolorem,  
 4 gratus es haud dubie ; messem nam dives opimam  
 5 Cirrhaea de valle refers, sterilemque dolendi  
 6 cernere tibi est causa, sacrumque arescere fontem,  
 7 qui puerum dulci sitientem proluit haustu.  
 8 At me quid maestis juvat exagitare querelis ?  
 9 Auxilii spes nulla mei. Vis siqua fuisset  
 10 ingenii, cecidit vulgo calcata furenti,  
 11 si petis hunc gemitus comitem, fortuna quod optas  
 12 obtulit ; afflictis si me succurrere Musis,  
 13 abstulit arma dolor murmurque reliquit inane.  
 14 Jamque, ignote, vale ; res prorsus mira relatu  
 15 diligo, nescio quem, sed honesta silentia signant  
 16 quantus is est, alium qui dat sine nomine carmen.

## AD IOHANNEM DE COLUMNA.

P1\_10 v.1 Heu quid agam ? Domus ampla Jovis concussa tremiscit,  
 2 cardine mota suo ruit alti janua caeli,  
 3 terribili clamore sonans. Sub nube propinqua  
 4 fulmina fulminibus concurrere dura trisulcis  
 5 visa, levem media fregerunt nocte quietem.  
 6 Ignibus alternis polus exardescit uterque :  
 7 nubila rupta tonant luxque impia territat orbem,  
 8 exanimatque hominum mentes et corda ferarum.  
 9 Jupiter australi vibrat metuendus ab arce  
 10 spicula dira manu, flammas vomit ore minasque :  
 11 omnia nimbo fugientia sidera velo  
 12 obduxere oculos, ne publica fata viderent  
 13 confusum chaos ante diem referentia mundo.  
 14 Jam Venus ante alias toto pulcherrima coetu  
 15 effugit, indignans contraria cuncta benignis  
 16 moribus ire suis. Stimulis non actus amoris,  
 17 ut solet, insequitur profugam Mars tristis amicam,  
 18 arma suis graviora timens. Talaria nunquam  
 19 ocus implicuit Cyllenius aurea plantis  
 20 imperio cari totiens repetenda parentis.  
 21 Atlantis domus omnis abest, nec cernitur usquam  
 22 turba puellarum, quarum latet ultima semper,  
 23 nunc omnes fugere simul. Perit obrutus umbra  
 24 lacteus innumeris redimitus circulus astris.  
 25 Praescius at cladis lugensque sub aequora Titan  
 26 ante abiit quam saeva diem corrumperet alium  
 27 tempestas, juvenem linquens post terga sororem.  
 28 Praecipiti tamen illa gradu conterrita cessit,  
 29 nec longas sine fratre moras dedit innuba nocti.  
 30 Gnosia desertae prorsus laniata puellae  
 31 sarta jacent, geminamque ingens distentus ad Arcton  
 32 condit in Oceano squamosa volumina Serpens.  
 33 Occidit Arthophylax, invitus plaustra reliquit,  
 34 et fugit in latebras post sidera cuncta Bootes.  
 35 Solus ab imbrifera pallens regione per umbras

36 despicit obliquo Saturnus lumine terras  
37 nempe gravis senio, madido discinctus amictu,  
38 canaque caeruleo substringens tempora nimbo.  
39 Tardus ad omne bonum, diros festinat ad actus  
40 et stupor unus habet, quibus is circumdatus alis  
41 hesterno cum forte die longinqua teneret  
42 immensos caeli tractus enaverit, unde  
43 tam subito damnosus ei sit Aquarius hospes :  
44 ipse, reluctanti similis, nec cedere vento,  
45 certus adhuc cuiquam nec vim potis incitus aer  
46 tantam ferre, tremit, quoniam rex ille Sicano  
47 laxat in arma ferox reserato carcere fratres,  
48 incutit et calcar rabidis et frena remittit.  
49 Nunc jubet ut terras quatiant caelumque ruina  
50 involvant pluviasque ferant, ut floribus arva  
51 depopulent agitentque vagos ad litora pisces,  
52 et scopulis miseros properent impingere nautas.  
53 His etiam adjungens, ut in aethere protinus alto  
54 confligant inter sese fraternaue bella  
55 adiciant vario lassatis turbine rebus,  
56 irritatque animos monitis atque asperat iras.  
57 Vectes deinde manu lacerat limenque sonorum  
58 pandit et ingeminat stimulos. Mora nulla : furentes  
59 inde catervatim prorumpunt jussaue complent.  
60 Hos horret natura parens, et tristis habenas  
61 deserit, arcanos repetens lacrimosa recessus.  
62 Terra pavet spectatque graves peritura tumultus,  
63 de Jove quaesta suo. Jamjam cessura procellis  
64 nutat et arios humero deponere montes  
65 cogitat ac medio victum caput abdere centro.  
66 Dum loquor, immodicis per inania fluctibus imbres  
67 praecipitant : nunc tecta sonant et grandine crebra  
68 circum pampineae Bromio cecidere coronae,  
69 silvarum cadit omne decus : torrentibus atris  
70 antra gemunt, saxisque immixta regurgitat unda,  
71 fluminis insolita turpans caligine vultus.  
72 Virgineus nymphis abiit decor ille repente,  
73 quem laudare soles, mirator maxime pulchri.  
74 Diluvium redit antiquum : stupefactus arator,  
75 quem modo sulcabat, pedibus contingere campum  
76 non valet ac pelago trepidantia bracchia jactat.  
77 Jamque beves et aratra videt culmenque revulsum  
78 Spesque suas omnes parili sub sorte natantes,  
79 et queritur falsum veteres cecinisse prophetas,  
80 adventare diem, quae flammis perderet orbem,  
81 supremam impositura manum, lusumque putat se.  
82 Flent passim attonitae matres et ad ubera parvos  
83 stringunt, infelix oritur per moenia luctus.  
84 Pauperis hinc vulgi strepitus sua damna gementis  
85 auditur : picta tremulum canit inde sacerdos  
86 multa vovens tunica, ceu nubibus imperet illa,  
87 eraque nodoso certatim rauca fatigat  
88 fune trahens. Nec plura metu : namque infima fessae  
89 fundamenta domus tremuerunt atque supernae  
90 irrumpunt memores querulo cum murmure nymphae  
91 ulciscique parant, quam nuper fecimus illis  
92 offensam, et nostro jam nos pepulere cubili.  
93 Jam digitis calamum tremor excutit atque tabellas ;

94 aut ego fallor enim et falsa formidine turbor,  
 95 aut modo (namque oculis inimici fulguris ignes  
 96 dant aditum), nemora invertens atque obvia quaeque  
 97 parva revulsurum lapidosum moenia flumen  
 98 vertice contigui montis descendit ab omni.  
 99 Interea fragilis nunc nunc in culmina tecti,  
 100 aut totum simul, aut cecidit pars maxima caeli :  
 101 et trabibus jam nulla fides, manifestaque mortis  
 102 undique terrificant propioraque signa patescunt.  
 103 Ipsa quoque in tanto mens consternata periclo  
 104 exigit ut sileam. Sed tu modo, siqua salutis  
 105 est via, pande tuo, dubiisque in tempore fatis  
 106 praesidium mihi semper ades. Si carmine forsan  
 107 flectitur ira Jovis, scriptum mihi dirige carmen.  
 108 Si valet Eoo lectos habuisse lapillos  
 109 litore, et hos adhibe digito miseratus inermi :  
 110 sin magis herba juvat, notas pia pergat ad herbas  
 111 dextra, precor ; gelido quacumque occurre pavori,  
 112 et fer opem misero, qua sim securior olim,  
 113 si non ista mihi mundoque novissima nox est.  
 114 Quodsi consilii nova nunc sententia non stat,  
 115 antiqua experti cur non redeamus ad arma ?  
 116 Tu mihi fasciculum jubeas, pater inclite, ferri  
 117 frondis Apollineae, namque istos pulchra per agros  
 118 (tam longinquus amans hunc non terit aethera curru)  
 119 laurea nulla viret, cujus jacuisse sub umbra  
 120 dulce sit, aut gremio caras abscondere frondes,  
 121 aut ramum tenuisse manu, dum fulminat ingens  
 122 Jupiter, et caelo clipeum monstrasse furenti.

## AD AMICUM S.

P1\_11 v.1 Hunc, tibi quem tanto repetis pro munere corvum  
 2 pulsa remittet hiems, cupidis accingitur alis  
 3 vere novo moturus eas, subitoque volatu  
 4 dulcia deserti revidebit pignora nidi.  
 5 Nix Alpes licet alta premat, licet aethera nimbi  
 6 tunc teneant, superabit amor. Tu parce querelis  
 7 et maestam solare domum : spes ista pudice  
 8 conjugis extenuet lacrimas minuaturque dolorem.

## AD MASTINUM SCALIGERUM S.

P1\_12 v.1 Si libet occidui rumores noscere mundi,  
 2 accipe quam brevibus qui nunc sunt : cetera namque  
 3 fatorum sub nube latent, cum venerit hora  
 4 collatura duces tantosque in bella paratus  
 5 permixtura acies campis, tunc ultima rerum,  
 6 quem fortuna premat, cui stet victoria parti  
 7 cuncta libens calamo peragam. Nunc coepta sequamur.  
 8 Convocat innumeras Germania dura catervas,  
 9 dives inexhaustum reseratque Britannia censum,  
 10 asperat indomitam bello Brabantia gentem,  
 11 Flandria perpetuo sequitur subjecta duello,

12 et quae prima petit coepti libamina belli  
 13 proxima pulvereo strepit omnis Anonia campo.  
 14 Gallia multifido quatitur percussa tumultu,  
 15 regnaque sanguineo trepidant contermina Marti,  
 16 et coeunt omni contracto robore reges.  
 17 Fluctuat, ut vario vibratus turbine, pontus,  
 18 quem gelidus Boreas hinc, atque hinc humidus Auster  
 19 verberat insultans, hinc classibus horrifer Eurus :  
 20 jam scopuli, jam saxa fremunt, navalia nautae  
 21 tuta petunt glomerantque fugam delphines ab alto.  
 22 Nec dum finis mali est, sed jam resonantia late  
 23 littora surgentes feriunt longinqua procellae.  
 24 Haud aliter placidum turbantibus aethera ventis  
 25 nunc furit occasus. Longe plebs dedita paci  
 26 et facie rerum insolita et terrore laborat.  
 27 Consurgunt urbes, juvenes vocat ira senesque :  
 28 cuncta procul rapido fervescunt littora motu.  
 29 Neve morer nimium, conspirat in arma fugacem  
 30 quicumque Oceanum Latiasque interjacet Alpes.  
 31 Finis erit, quem fata dabunt, sed magna parantur.  
 32 Haec utinam nostrae veniant momenta salutis,  
 33 Italia, infelix domus, irrequieta laborum,  
 34 sicut pacifico semper pugnavit in orbe,  
 35 sic modo, fortuna mundum jactante, quiescat.

AD ROBERTUM REGEM DE OBITU DYONISII.

P1\_13 v.1 Flere libet, sed flere vetor, lacrimasque parantem  
 2 hinc pudor, hinc pietas subeunt, hinc ira dolorque  
 3 hincque catervatim veniunt exempla dolorum.  
 4 Talia multa animo, quoniam non gloria, non vis,  
 5 nec potis est virtus venienti obsistere morti  
 6 haec mihi nota prius, modo sed notissima, tandem  
 7 iudicio patuere novo. Mors improba quantum est  
 8 ausa Italis rapuisse virum ! Sibi fortior illum  
 9 Fama sed aeternum rapuit longumque per aevum  
 10 vivere jussit eum et totum volitare per orbem.  
 11 Ille olim felix, modo felicissimus idem  
 12 carcere membrorum fugiens tenebrosa reliquit  
 13 claustra libens, nullaque quidem dulcedine vitae  
 14 tangitur, instabiles quisquis bene computat annos.  
 15 Quod, si quem, fecisse rear ; fuit ille profunda  
 16 mente sacer, cursus naturae conscius omnis,  
 17 et procul humanos solitus prenoscere casus,  
 18 quo minus ergo rei mentem applicuisse fugaci  
 19 creditur, hoc facili magis ascendisse volatu  
 20 ad superos caelique domos et regna piorum  
 21 crediderim. Nihil ergo viro, nihil impia tanto  
 22 Mors nocuit, mihi saeva dolos, mihi flebile damnum  
 23 intulit, ac mundo et Musis ; mihi nempe secundum  
 24 eripuit patrem, quo jam indulgentior alter  
 25 non superest ; mundo veri tulit invida fontem,  
 26 qui sibi tot nitidos potuisset spargere rivos ;  
 27 abstulit et Musis fulgur radiantis alumni,  
 28 qualem posteritas alium vix longa videbit.  
 29 Nobilis hunc igitur tanto spoliata decore

30 Ausonia, hunc Burgus sancti gemit ipse Sepulcri  
 31 cive diu tali longinquis notus in oris.  
 32 Tu quoque (si fas est tam clari principis ora,  
 33 si maduisse oculos) lacrimas dabis inclita regum  
 34 progenies, Roberte, pias, quem jure coronant  
 35 Europae Asiaeque simul duo maxima regna,  
 36 solamen vitae quoniam, rex optime, perdis  
 37 non mediocre tuae. Quis tecum consulet astra  
 38 fatorum secreta movens, aut ante notabit  
 39 successus belli dubios, mundique tumultus  
 40 fortunasque ducum varias ? Qui lenibus aures  
 41 mulserit alloquiis ? Aut te mulcente quis usquam  
 42 sufficiens aderit testis, cum grandia verbis  
 43 expones arcana poli, triplicemque sub una  
 44 majestate Deum, cum partum Virginis almae,  
 45 cum domitam mortem, reserataque Tartara jussu,  
 46 et quae multa soles uni tibi cognita regum ?  
 47 At mihi praecipue et Musis quia flere necesse est,  
 48 flete simul mecum viduato Helicone sorores,  
 49 flete sacri nemoris lauri, fle grandis Apollo  
 50 altisono praecone carens. Nunc collis uterque  
 51 Parnasi et rauco strepat arens murmure vallis,  
 52 Castalique gemant latices desertaque Cirrha  
 53 hospite tam magno. Resonent ululatibus antra  
 54 Pieridum quae, dum vixit, mulcere solebat  
 55 dulcibus ille modis. Quis nunc post fata superstes  
 56 stabit honos merito ? Quae praemia grata sepulto,  
 57 quid sibi pro tanto reddemus munere dignum ?  
 58 Nempe ego nil habeo. Vos carmen reddite vati,  
 59 Pierides, titulumque brevi conscribite saxo :  
 60 "Qui fuit Hesperiae decus et nova gloria gentis,  
 61 cultor amicitiae fidus, carisque benignus,  
 62 convictu placidus, vultuque animoque serenus,  
 63 religione pius, factis habituque modestus,  
 64 altus et ingenio, facundo splendidus ore,  
 65 flos vatum, caeli scrutator, cognitus astris,  
 66 rarus apud veteres, nostro rarissimus aevo,  
 67 unicus ex mille jacet hic Dionysius ille".

## AD SE IPSUM.

P1\_14 v.1 Hei mihi quid patior, quo me violenta retorquent  
 2 fata retro ? Video pereuntis tempora mundi  
 3 praecipiti transire fuga, morientia circum  
 4 agmina conspicio juvenumque senumque, nec usquam  
 5 tuta patet statio, non toto portus in urbe  
 6 panditur, optatae non spes patet ulla salutis.  
 7 Funera crebra quidem, quocumque paventia flecto  
 8 lumina, conturbant aciem : perplexa feretris  
 9 templa gemunt, passimque simul sine honore cadaver  
 10 nobile plebeiumque jacet. Subit ultima vitae  
 11 hora animum, casusque mei meminisse coactus  
 12 heu caros abiisse greges, et amica retracto  
 13 colloquia, et dulces subito vanescere vultus,  
 14 telluremque sacram assiduis jam deesse sepulcris.  
 15 Hoc gemit Italiae populus tot mortibus impar,



16 hoc exhausta viris, defectaque Gallia plorat,  
17 hoc aliae, quocumque jacent sub sidere, gentes.  
18 Sive est ira Dei, quod crimina nostra mereri  
19 certe ego crediderim, seu sola injuria caeli,  
20 natura variante vices, hic pestifer annus  
21 humano generi incubuit, flendumque minatur  
22 excidium, mortique favet densissimus aer.  
23 Saevus ab infecto prospectat Jupiter axe :  
24 inde pluit morbos et tristia funera terris,  
25 staminaque immites properant abrumpere Parcae  
26 omnia, si possint, pariter, vereorque supernae  
27 quod cupiunt ne posse detur, tot pallida vulgi  
28 ora videns miseri, tot Tartara nigra petentes.  
29 Haec meditans, fateor, trepido, mortisque propinquae  
30 auguror insidias, ubinam caput abdere possim,  
31 nec mare, nec tellus, nec opacis saxa cavernis  
32 ostendunt profugo, quoniam mors omnia vincit.  
33 Inque parum tutas venit impetuosa latebras.  
34 Sic, velut in dubiis deprensus nauta procellis,  
35 cum ferus ante oculos socias absorbit alnos  
36 Neptunus, fragilem qui utero crepuisse carinam  
37 sentit et illisos scopulis conflagere remos,  
38 ac procul horribiles clavum videt ire per undas,  
39 Hero consilii incertus, certusque pericli.  
40 Nec secus, annosas ubi saeva incendia furtim  
41 corripuere trabes, tabulataque pingua lambit  
42 flamma vorax, surgit subito exanimata tumultu  
43 turba domus, pater ante alios ad culmina tecti  
44 evolat aspiciens circum, natumque trementem  
45 complexus, primum ancipiti subducere pesti  
46 cogitat, objectosque oneratus abire per ignes.  
47 Saepe ego permetuens, animamque amplexus inertem,  
48 cogito, siqua via est medios auferre per aestus,  
49 corporeasque unda lacrimarum extinguere flammam,  
50 sed retinet mundus, trahit imperiosa voluptas,  
51 funestisque ligat nodis violentior usus.  
52 Ecce ubi sum ! gelida sic me formidine densae  
53 texerunt tenebrae. Nam qui meminisse putat se  
54 mortis et impavido spectasse novissima vultu  
55 fallitur aut furit, aut multum sibi conscius audet.  
56 Saepius ambiguam gravis indignatio mentem  
57 digna subit justusque dolor, mecum intus et extra  
58 colluctans ; clara vincor ratione, sed illam  
59 impetus exsuperat, coeptoque resistit honesto.  
60 Sic teneor, multumque fleo, ipso meque frequenter  
61 percontor : quid, vane, paras ? Quo pergere tendis ?  
62 Ah miser, aut quonam tantis anfractibus ire  
63 posse putas ? Moriere quidem. Semperne quietis  
64 spe labor iste juvat ? Sterili quid semen arenae  
65 committis, quid litus aras ? Spes blanda sequentem  
66 ludit et in gyrum volvit. Jam tempora retro  
67 candidiora vides, jam sensim tempora cani  
68 invadunt : quid lentus agis ? Puer inscie, semper  
69 crastina pertractans animo, praesentia perdes ?  
70 Semper ab incerta pendebris sorte futuri  
71 teque tuumque bonum fugiens aliena sequeris ?  
72 Siste, age, siste fugam ! Cur non inniteris isti  
73 quam datur aspexisse diem : nam postera fors an

74 non tibi clara venit : facili nigrescere casu,  
75 si nescis, mors cuncta facit : solet illa venire  
76 improvisa equidem. Cur non modo, siqua tibi stat  
77 cura tui, quodcumque animus per saecula differt,  
78 aggrederis ? Longos fortassis cautus in annos  
79 consilia extendis ? Post bustum magna paramus,  
80 o caeci ? Potes, aetatis rapidissima nostra  
81 curricula expertus, spes hic intexere longas,  
82 venturaeque aliquid prorsus confidere luci ?  
83 Tunc faciam cum pulvis ero, cum membra cruentus  
84 vultur et obscaeni laniabunt viscera vermes.  
85 Nunc potius, nunc tempus erat, dum membra movere  
86 dumque animum frenare potes, quando optima rerum  
87 Libertas et vita manet cessura repente.  
88 Nonne vides volucris labentia saecula cursu ?  
89 Impellunt momenta levem successibus horam :  
90 illa diem noctemque fugat, fugientibus illis  
91 Luna pererrato tenuata revertitur orbe ;  
92 illa rapit soles et magnos conficit annos.  
93 Hi senium mortemque ferunt : sic omnia miscens  
94 tempus, et instabili transcurrit vita meatu,  
95 nec reditura ruit ; non, propellentibus undis,  
96 ocius ex alto clivosi gurgitis amnes  
97 in mare praecipitant, nervoque tremente sagitta  
98 pulsa per oppositas penetrat velocior auras.  
99 Si meminisse velis, postquam genitricis ab alvo  
100 nudus, inops, querulus, miser et miserabilis infans  
101 emergens, tremulo vagitus ore dedisti,  
102 et labor et lacrimae et gemitus et tristia curae  
103 pectora torquentes habitarunt corde sub isto,  
104 nulla fuit tibi laeta dies, qua posset anhelus  
105 Spiritus innumeris finem posuisse querelis.  
106 Respirare cupis, sed sors adversa repugnat.  
107 Quam vereor ne tota tibi sit agenda diaeta,  
108 ante salutari accubitu quam posse parumper  
109 defessum recreare latus contingat eunti !  
110 Preteritque tuae tibi jam pars magna diei ;  
111 jam ruit aeternae praenuntia vespera noctis :  
112 tu longum, senior, curas extendis in aevum,  
113 tu dormis, moriture, gravis sub mole soporis  
114 securusque jaces ? Properantem respice solem  
115 litus ad occiduum, et male perdita tempora defle  
116 dum licet, ac patriam versus vestigia volve,  
117 lumen adhuc caelo breve dum tibi fulget ab alto.  
118 Vixisti in pelago nimis irrequietus iniquo,  
119 in portu morere, et languentia comprime vela,  
120 collige disjectos jam tempestate rudentes.  
121 Talia dum mecum perago, saepe ira laborque  
122 exclamare jubent : "Quis me de faucibus hostis  
123 eripiat ? Quis me mortali carcere raptum  
124 restituat caelo ? Quis rectum monstret ad astra,  
125 inter tot laqueos, tam multa per invia, callem ?  
126 Heu mihi, quam longe patriam videorne videre,  
127 an video, pacis, ceu monte remotus ab alto.  
128 Omnia sed circumstant vepribus obsita duris.  
129 Tartareique canes habitant atque ire parantes  
130 praedones rapidi infestant, qui signa superni  
131 deseruere ducis quondam, frustraue recordor,

132 heu quotiens ! Tentasse viam ; semperque repulsus  
 133 erro suspirans quo non licet ire. Quis ergo  
 134 succurret misero ? Tuto quis tramite ducet,  
 135 felices ubi sunt animae populusque beatus ?  
 136 Et si carne premor, mea me si crimina tardant,  
 137 quis dabit ut pennas, posita gravitate, columbae  
 138 induar alta petens [primum], et post dura quiescam ? "  
 139 Nunc status hic rerum est mihi, sed quem prescia finem  
 140 fata parent nondum video ; spes longa tremorque  
 141 hactenus assidue nostro de pectore certant.  
 142 At breve tempus erit, quando exitus ipse docebit  
 143 quis fuerim vere, quam fausto subditus astro,  
 144 quam celer aut tardus, monstrato calle, viator,  
 145 qualis ad extremum moribundi corporis hospes.

## LIBER II

AD IOHANNEN BARILEM MILITEM NEAPOLITANUM.

P2\_01 v.1 Quid mea fata mihi toto speciosius aevo  
 2 dulcius aut animo poterant meliusve tulisse  
 3 quam si forte tuis capiti nova laurea nostra  
 4 pressa foret manibus ? Fateor, tunc alma sororum  
 5 ex Helicone sacram veniens mihi turba choream  
 6 duxisset, citharam medius sonuisset Apollo,  
 7serta gerens, adamata sibi Peneia primum,  
 8 post longum dilecta mihi ; spectasset ab astris  
 9 laetus honoratam, placato numine, frondem  
 10 Jupiter, et rapidi posuisset fulminis iram.  
 11 Denique nulla dies fulsisset lumine tanto  
 12 his oculis, cunctos nec fulserat ulla per annos.  
 13 Obstitit heu votis semper mihi dura paratum  
 14 imminuens Fortuna decus tantoque favori  
 15 invidit : tibi, me propter, tam multa viarum  
 16 aspera, tot laquei : soli mihi nempe tetendit  
 17 insidias ; desiste queri, mea tota querela est.  
 18 Agnosco expertus fraudem moresque malignos,  
 19 mortalis quibus illa ferox intercipit actus,  
 20 omnia permiscens. Proh, sacra licentia monstri !  
 21 Quin aliam mihi tunc eadem Fortuna parabat  
 22 nequicquam preventa dolum, ne nobilis Ursus  
 23 scilicet ipse meo praesens foret auctor honori.  
 24 Vix tridui spatium restabat, ut omne senatus  
 25 tempore jus hausto flueret, breviorque potestas,  
 26 quae quondam sine fine fuit. Deus ipse nocenti  
 27 occurrens direxit iter. Vix fine sub ipso  
 28 temporis immensae perventum ad limina Romae.  
 29 Obvius intranti fueras, comitemque ducemque  
 30 pollicitus : vetuit quoniam sors, esse nequisti.  
 31 Torqueor et cunctas qui lustret nuntius oras  
 32 mittitur : ille autem Campanis fessus in arvis  
 33 teque nec invento rediens spem sustulit omnem.

34 Ultima jamque dies aderat nec postera tempus  
35 Lux dabat, urgebat consumpti terminus anni.  
36 Me quoque magnanimus comes accelerare monebat,  
37 jam gravidus curis, peperit quas fortibus actis.  
38 Postmodo, nosti hominem, expedior, subitumque vocati  
39 Romulei proceres adeunt. Capitolia laeto  
40 murmure complentur ; muros tectumque vetustum  
41 congaudere putes. Cecinerunt classica : vulgus  
42 agmina certatim glomerat, cupidumque videndi  
43 obstrepat. Ipse etiam lacrimas, nisi fallor, amicis,  
44 compressis pietate animis, in pectore vidi.  
45 Ascendo : siluere tubae murmurque resedit.  
46 Una quidem nostri vox primum oblata Maronis  
47 principium dedit oranti, nec multa profatus ;  
48 nam neque mos vatium patitur, nec jura sacrarum  
49 Pieridum violasse leve est ; de vertice Cyrrhae  
50 avulsas paulum mediis habitare coegi  
51 urbibus ac populis. Post facundissimus Ursus  
52 subsequitur fando. Tandem hic mihi Delphica sarta  
53 imposuit, populo circumplaudente Quiritum.  
54 Hinc Stephanus, quo feta virum jam tempore nostro  
55 majorem non Roma tulit, me laudibus amplis  
56 accumulatur. Rubor ora mihi mentemque premebat,  
57 indignum tales onerabant pectus honores  
58 mulcebatque simul, Siculo nempe omnia regi,  
59 nil mihi, nam quis ego ? Verumtamen illius alto  
60 iudicio dignatus eram. Tum regia festo  
61 vestis honesta die me circumfusa tegebat  
62 et dominum referens et tanti testis amoris,  
63 quam, lateri exemptam proprio, regum ille supremus  
64 Rex dederat gestare suo. Solusque loquentis  
65 iste animo ingenium, labiis mulcentia verba  
66 sufficiebat honos, coram mihi namque videbar  
67 eloquii spectare duces regemque serenum,  
68 vellere qui primum se continuisset in illo.  
69 Impetus hinc, spesque alta nimis fiduciaque ingens,  
70 ceu presens is ferret opem. Descendimus una,  
71 omnibus explicitis, atque hinc ad limina Petri  
72 pergimus et sacras mea laurea pendet ad aras,  
73 primitiis gaudente Deo. Sua numina testor,  
74 haec inter tot laeta, oculis tu solus, amice,  
75 tu deeras, votis quotiens precibusque petitus,  
76 mente tamen memorique animo tua dulcis imago  
77 certe aderat semperque aderit, nec tempore sedes  
78 deseret acceptas, sic illam pectore in alto  
79 sculpsit amor, fixamque adeo vetitamque moveri  
80 Maximus artificum vivoque adamante peregit.  
81 Hunc verbis (quia jam vereor ne longius aequo  
82 carmen eat) finem statuo. Tuque optime, regi,  
83 dum vacuum invenies curarum, meque fidemque  
84 commendare meam placido sermone memento.  
85 Sum suus ex merito, sibi me meaque omnia soli  
86 devovi : ingenium, calamus linguamque manumque  
87 et siquid superest aliud. Mihi carior ipse  
88 sum, postquam dedit esse suum ; dominoque superbit  
89 Mens mea. Nunc autem quoniam sibi reddere majus  
90 nil valeo pro tot magnis, sub nomine crescit  
91 "Africa" nostra suo ; tenuis (nisi gloria sordet)

92 parva quidem, at grandi studio longoque labore  
 93 invigilanda mihi. Jamque ipsa superbior ardet  
 94 ad sacros properare pedes, noctemque diemque  
 95 orat iter comitemque viae. Vocat eminus ambos  
 96 inclita Parthenope, sed adhuc nos Gallia vinclis  
 97 Nostra tenet blandis ; tandem tamen ibimus et nos  
 98 limine suscipies pariter pariterque videbis.  
 99 Vive, vale, nostrique memor lege, dulcis amice,  
 100 haec calamo properante brevi quae scripsimus hora.

AD BERNARDUM RUTHENSEM CARDINALEM S.

P2\_02 v.1 Audio quod studium sacros tibi nosse poetas  
 2 ceperit, alme pater. Dulcis labor, ardua cura !  
 3 Gratulor et laudo : quid enim solacia vitae  
 4 plura fatigatae, quid ve otia tanta dedisset ?  
 5 Haud equidem me fallit amor, scio quanta sub antris  
 6 Aoniis inventa quies mundique procellis  
 7 jactato quotiens rupes Heliconia portum  
 8 obtulerit latebrosa mihi. Nec nomine vatis  
 9 glorior arcanis tremulum miscere choreis  
 10 Pieridum Phoebique gradum, sed amoena videndi  
 11 me tulit huc praegrans amor. Tu quantus in altis  
 12 Parnassi potes esse jugis, nisi coepta relinquis !  
 13 Jam tibi sarta novem studio certante sorores  
 14 laurea texentes video, jam vertice rubro  
 15 frondis honorate viridem pendere coronam,  
 16 carmine Romano Graiaque ornante poesi.  
 17 Jam nemus omne tibi reboat, tibi concinit unda  
 18 Cirrhaeo de fonte cadens, tibi pulcher Apollo  
 19 corripit auratam citharam pedibusque manumque  
 20 tellurem nervosque ferit ; cantare vicissim  
 21 ne pudeat, comitemque novum plaudentibus offer,  
 22 neu te vulgus iners, neu pervulgata retrorsum  
 23 mendaces mentita ferat te fama poetas.  
 24 Ludimus et vario tegimus speciosa colore,  
 25 quo vulgus penetrare nequit, juvat alta profundis  
 26 occuluisse locis, ne forte jacentia passim  
 27 vilescant, magno quaesitum quippe labore  
 28 carius inventum est. Imis quod terra cavernis  
 29 abdiderat, venit in lucem preciosius aurum ;  
 30 dulcius ignoto jacuit quae litore iaspis  
 31 in digitos translata micat : sic blandius aether  
 32 post nebulas pluviamque nitet, sic, nocte fugata,  
 33 exspectatus adest et gratior aspicitur sol.  
 34 Ergo age, propositum, qua fert novus impetus, urge,  
 35 et studiis incumbere sacris, ubi lucida veri  
 36 effigies alte latitat, quam spiritus acris  
 37 eruet ingenii sensim, scissaque parumper  
 38 nubes per obstantes cernet radiare tenebras.  
 39 Hoc iter ingresso, magnum tibi munere parvo  
 40 auxilium conferre velim : transmittitur ergo  
 41 Servius altiloqui retegens arcana Maronis.  
 42 Suscipe tranquillus, nec jam variante senecta  
 43 lurida permoveat facies vel turpis amictus.  
 44 Frons decet ista senem. Dabit hic tibi semina rerum

45 pauca, sed immensam segetem, si rite colantur,  
 46 temporibus latura suis. Si parva lucernae  
 47 Flamma valet monstrare viam sub tempore noctis,  
 48 unda vel exigui rapidam compescere fontis  
 49 aestivo fervore sitim, non vilia forte,  
 50 non inamoena, pater, munuscula nostra putabis.

## AD EUNDEM.

P2\_03 v.1 Terrificas, tam magna moves, teque omnia nosse  
 2 teste probas calamo ; sapienter quaerere pars est  
 3 maxima notitiae ; dubitans agnoscere, certa  
 4 multa prius dubitata facis. Lux quanta tonantis  
 5 eloquii tenebras alieno in corde serenat,  
 6 de tenebris conquesta suis ! Sed vera fatebor  
 7 ingenue, non astrigerum me turbida callem  
 8 permittunt mea fata sequi, non tantus ab alto  
 9 contigit ingenii vigor, aut haec gratia linguae.  
 10 Adde quod aestatis nocet inclementia et ingens  
 11 moenibus angustae fremitus circumtonat urbis,  
 12 non turbas capiente solo, non murmura caelo ;  
 13 tam diversa sonant. Gelidis hunc montibus Arctos,  
 14 angulus hunc orbis ditissimus Anglia misit,  
 15 hunc procul Oceanus dedit, hunc Hispania civem :  
 16 sic populis confusa novis urbs parva redundat,  
 17 quos simul exigui tulit huc spes improba lucri  
 18 partibus ex variis, et carcere clausit in uno.  
 19 Hic ego, namque horum vix impatientior alter,  
 20 indignans stomachansque feror. Piget illa referre  
 21 quae patior, per cuncta vagus. Strepit obvia turba :  
 22 Hic gemit, ille canit, ruit hic, levat ille ruentem,  
 23 Hic verbis, hic verberibus furit, ille quadrigas  
 24 temperat et foedo contristat compita caeno,  
 25 hac peregrina phalanx, hac pleno calle viator  
 26 pulverulentus adest ; rapidum regit alter habenis  
 27 cornipedem, quem calce ferit ; manet ille cruentus  
 28 immeritique bovis premit in praecordia cultrum.  
 29 Externas terit hic species, atque aere sonanti  
 30 verberat ille forum et praetoria litibus implet ;  
 31 ille solecismum ingeminans et barbara verba  
 32 examen subit et trepidat titubatque legendo,  
 33 et tremulos ciet ore sonos ; hic funus amici,  
 34 conjugis hic taedas sequitur, sonat undique creber  
 35 Malleus artificum solidaque incude laborat.  
 36 Hic stupet in triviis atque importunus oberrat,  
 37 ille cibum tristi poscit sine fine querela.  
 38 Singula quid memorem ? Spes hic mihi nulla quietis,  
 39 Curia tot curis lacerat, quocumque revolvor,  
 40 omnia terribili fervent reboantque tumultu.  
 41 Hic rerum status, egregium mihi quando poema  
 42 sufficiet, quando illustres contexere verso ?  
 43 Silva placet Muis, urbs est inimica poetis.  
 44 Haec inter tam multa petis : quid quaerere restat  
 45 ni terrae pelagique modum, quot in aequore verso  
 46 Tritones, quot monstra natent, quot litus harenas,  
 47 quot freta pisciculos immensi gurgitis unda

48 abscondant, quot silva tegat volucresque ferasque,  
49 quot fumi vomat Aetna globos quantasque favillas.  
50 Haec mihi nota parum fateor, nec notius illud,  
51 qui status est caelo, qua sidera lege moventur.  
52 Quando ego per cunctos agilis circumferar axes,  
53 quis dabit aethereas moriturus ut induar alas,  
54 et mundi secreta notem centrumque polosque  
55 metiar ? Id paucis (prorsus namque ardua res est)  
56 milibus ex multis hominum vix contigit uni.  
57 Invenies aliquos astrorum arcana professos  
58 metirique ausos caelum terrasque fretumque,  
59 ignaros quo nostra tamen corpuscula limo  
60 subsistant, seu quis clausus sit spiritus umbris.  
61 Heu furor, heu funesta lues, heu flebilis error  
62 omnia malle hominum, quam se, discernere ! Sic ne  
63 ultima cura sui est, quam par fuit esse priorem ?  
64 Non peregrina quidem, sed me mihi noscere tantum  
65 jussit Apollinei celebris sententia templi.  
66 Mene Ptolemaeos Siculique ignota magistri  
67 signa parum fausto descripta in pulvere forsan  
68 sollicitum tractare putas ? Non ista relinquit  
69 otia mors festina mihi, cui tempora furtim  
70 et rapidos auferre dies mea cura suprema est.  
71 Sed, cogis si forte loqui, scio sidera septem  
72 ire retro, aeternos caeli frenantia cursus.  
73 Cur totidem potius pulcherrima quaerere non est  
74 lumina, praerapidos animae moderantia motus.  
75 Principe sole suo, radiis qui temperat orbem  
76 atque orientis iter repetit, quo sidere merso  
77 pallida nox terras et frigida possidet umbra ?  
78 Fixa quoque in tergum, sensim licet, astra moveri  
79 novimus, ac magnum compleri recursibus orbem.  
80 Nec pudet unius tam parvis finibus anni  
81 conclusos agitare animis aeterna superbis,  
82 immemores quam vita brevis, quam labile tempus ?  
83 An medium sol ipse locum teneatne secundum  
84 ambigitur : medium virtutis temnimus almae.  
85 Illic Aegyptus Chaldaeaeque discrepat omnis,  
86 ista Syracusii ductu senis, illa Platonis  
87 nititur auxilio ; pudeat disquirere quantum est  
88 Sol major tellure ; vacat, mens corpore quantum  
89 nobilior, meminisse labor : jam fabula vulgi est  
90 quid Jovis et natae prospectibus astra benignis  
91 quidve rubens Martis, senis aut glaciale protervi  
92 sidus agat. Satius fuerat condiscere quid nos,  
93 quid Deus in nobis ageret, quam pigra noceret  
94 sarcina membrorum, seu quos violentus Averni  
95 tenderet in bivio laqueos, quae retia raptor.  
96 Cynthia fraternis radiis succensa refulget  
97 alternatque vices, nec surgit et occidit una,  
98 saepe etiam sine luce latet renovataque rursus  
99 cornibus emergit tremulis iterumque senescit,  
100 Mercuriusque, deum interpres, variabile sidus,  
101 laetus ut est laetis, sic tristia tristibus affert.  
102 Novimus haec omnes : animae illustrator opacae  
103 qualis, et instabiles motus crebrasque ruinas  
104 negligimus, cui res prosint noceantve secundae,  
105 cui mors laeta viro, cui sit maestissima rerum.

106 Hic mihi nunc septem cognata stirpe sorores  
 107 obicis ; has longum propriis sermonibus omnes  
 108 stringere, tu Senecam, valeat quid quaelibet, acrem,  
 109 consule ; sed nosti, nisi quod me carmine temptas.  
 110 Illa novem me virginibus conserta chorea  
 111 sic curas inter varias et proelia mulcet  
 112 fortunae, ut fatear placidis me plurima Musis  
 113 debere, ast immensa uni quae tramite dextro  
 114 subvehit ad superos utinamque in tempore sistat.  
 115 Nunc alio, venerande pater, mea carmina flecto :  
 116 da veniam fandi, licuit sermone soluto  
 117 quidlibet amplecti, poteras ibi nempe vagari  
 118 et labor unus erat, sed si juga prendere dulce est  
 119 Parnassi et viridi substringere tempora lauro,  
 120 incipe carminibus leges adhibere modumque,  
 121 syllaba liberior discat pede currere certo,  
 122 neu pudeat tenui tempus consumere cura.  
 123 Maximus Augustus, domito tribus orbe triumphis,  
 124 Pierios cantus et amoenas miscuit artes :  
 125 nobilis ille animus, qui mundi frena subacti,  
 126 quique duces populosque manu regesque tenebat,  
 127 fortunae dominus geminae, vitaeque necisque,  
 128 subdidit imperium Musis capuloque rigentes  
 129 transtulit ad numerum digitos inhiansque notavit  
 130 quem correpta locum, quem syllaba longa teneret.  
 131 Carmen adhuc superest, quo Caesaris atque poetae  
 132 majestas studiumque vigent semperque vigeant.

## AD EUNDEM.

P2\_04 v.1 Obruor immensa rerum sub mole tuarum  
 2 et fragiles humeros onus importabile frangit,  
 3 quaere pares animos alibi ; mihi parvus ab astris  
 4 Spiritus atque inopis piger impetus obtigit oris.  
 5 Dii tecum uberius ; nam mens tibi conscia caeli,  
 6 vox adamantina est, calamus quoque ferreus omnes  
 7 promptus ad insultus. Pleno tibi carmina Cornu  
 8 Copia suppeditat, versus brevis hora trecentos  
 9 et septem decies excudit ; longa quid ergo  
 10 quot daret una dies, quot mensis et integer annus ?  
 11 Multiplicare labor. Mihi paucula carmina Phoebi  
 12 solstitiale jubar sub tarda crepuscula saepe  
 13 traducunt. Sic tota dies consumitur ; atqui  
 14 posteritatis honos animum et ventura nepotum  
 15 judicia exagitant. Liberrima verba tremisco  
 16 ac vereor jaculis multorum occurrere inermis ;  
 17 non pretio, non blanditiis, nec amore, nec ulla  
 18 arte satis tutus, nisi me spectata futuris  
 19 scripta tegant, cum jam sparsus cinis iste sepulcro  
 20 officio spoliata suo cum lingua jacebit.  
 21 Et calami spes omnis erit. Sic insita menti  
 22 segnitieque metusque morae sunt causa, nec unquam  
 23 scribere concipio, quin saecula cuncta paranti  
 24 occurrant. Tibi forte oculos implesse legentis  
 25 est satis, atque alio famam tibi calle parasti,  
 26 o felix majora animo studiisque secutus !



27 Ipse obscurus ero, proprio nisi carmine noscar.  
 28 Hinc timor, hinc studium ; decies dum scripta relegi  
 29 Haereo contineoque domi prohibensque vagari  
 30 arceo. Tum licet ingeminans ad limina pulset  
 31 nuntius ac properet, vacuum dimittere malim,  
 32 dedecus ille meum quam si ferat. Hunc modo morem  
 33 posthabui, certus veniae. Properata parumper  
 34 ista mihi : tibi sed nimium dilata videntur.  
 35 Scilicet hoc unum disconvenit inter amicos.  
 36 At paucis ne multa meis tua carmina forsan  
 37 insultent, tua neve meum lux rideat annum,  
 38 Pace bona subsiste, precor. Meminisse decebit  
 39 colloquium Euripidis quondam atque Alcestidis unum,  
 40 sed sileo. Subitum vidi stupuique poema :  
 41 protinus hic Mysis, tacito cum murmure dixi,  
 42 imperat et totum fervens Helicon a gubernat ;  
 43 metra dehinc numerans, bis terque quaterque quievi,  
 44 colle fatigatus medio ; mox singula mecum  
 45 sedulus excutiens sociisque ex more coactis  
 46 ostentans, unum cunctis mirabile sensi.  
 47 Quot vario tot metra gradu, nec passibus isdem  
 48 sic coeunt tempusque petunt mea tecta sub unum.  
 49 Nititur haec ternis pedibus, pars illa quaternis,  
 50 illa decem subnixa volat, pars claudicat uno,  
 51 et tamen incedunt pariter, veloxque morantem  
 52 expectat volucrumque gravis contingere certat.  
 53 O utinam nostro quondam tam larga Maroni  
 54 Copia dicendi ! Nunquam, mihi crede, laborem  
 55 lentus inexpletum seros traxisset in annos.  
 56 Nunc laeter doleamne prius ? Natura poetam  
 57 protulerat, sed jura nocent civilia Mysis,  
 58 distrahiturque animus. Sed enim fragmenta benigni  
 59 sufficit ingenii studiis conferre Latinis.  
 60 Arripe tu calamum dextramque armare potentem  
 61 Iliados famam et praeclaram Aeneida victor,  
 62 nec longus vicisse labor, post terga relinques.  
 63 Hactenus haec : quaesita tibi tua dives habeto,  
 64 nescio quid perplexa velint sphingosaque : nulli  
 65 Oedipode solvenda reor, tibi pervia soli.  
 66 Hinc seu millia nos versus seu milia mille  
 67 fundat inexhausto veniens e pectore flumen,  
 68 quamvis pulchra quidem, quamvis sint ampla relatu,  
 69 ni placeant paritate pedum serieque modesta,  
 70 dulcia ni fuerint animosque actura, silebo.  
 71 Nec numerare velim, numerus tua cura decusque  
 72 sit licet et celeri placeas tibi nempe Camena.

AD CLEMENTEM VI ROMANUM PONTIFICEM S.

P2\_05 v.1 Spes mihi longa nimis, pater o sanctissime patrum,  
 2 obfuit : exspectans senui, sponsumque morantem  
 3 increpitans, revocansque domum ; non littera supplex  
 4 evaluit movisse loco, non ora relictas  
 5 conjugis aut lacrimae, quotiens sibi tristis et amens  
 6 occurri, gemituque genas madefacta recenti.  
 7 Heu Parthis miseranda prius quam cara marito,

8 qui mihi labenti in cineres et saepe roganti  
 9 auxilium aut serae saltem solacia mortis,  
 10 nil nisi blanditias tempusque trahentia verba  
 11 reddidit ac miseram tenui spe pavit amicam.  
 12 Nunc reditum morbus, nunc quaestio lenta retardat  
 13 quid videant animae felices, corpora postquam  
 14 exuerint, nunc perplexas componere leges  
 15 aut mores formare novos, nunc destinat arces  
 16 aerias caeloque pares attollere turre.  
 17 Interea dum multa parat, dumque ultima semper  
 18 cura mei, externis nimium dum torpet in oris,  
 19 tempus abit fugiuntque dies morsque impia tandem  
 20 abstulit aeterna praefixum lege tributum.  
 21 Sic viduae viduata domus tenebrisque tenebrae  
 22 accessere meis. Sed enim miserata superne  
 23 te pietas divina mihi servabat egenti.  
 24 Saepe dolet mens caeca hominum trepidatque gemitque  
 25 est ubi gaudendum : rumor modo mortis acerbae  
 26 intulit haud merita subitum pietate dolorem.  
 27 Mox super adveniens misere mihi nuntius alter  
 28 deterisit lacrimas, atram deponere vestem  
 29 jussit et eximio felicem conjuge dixit.  
 30 Obstupui auditis et vix bene credula veri  
 31 multa sub ambiguo versabam pectore mecum  
 32 gaudia non capiente animo. Certissima postquam  
 33 nuntia magnanimi nomen clementis ad aures  
 34 fama tulit nostras, timui ne laeta repente  
 35 opprimerent fragilem nimia dulcedine mentem.  
 36 Laetior haud caro genetrix fuit obvia nato,  
 37 quem periisse truci quondam sub Marte putabat :  
 38 ergo iter arripiens, glaciale transvehor Alpem,  
 39 laetitia minuente viam et mulcente laborem,  
 40 ante pedes ventura tuos, dulcissime conjunx.  
 41 Alme parens, miserere, precor, nostramve querelam  
 42 suscipe, neu viduam, sponsae, patiare senectam.  
 43 Non ignara quidem nec rerum nescia veni.  
 44 Est tibi longinqua, fateor, telluris origo,  
 45 est patriae praedulce solum ; seriesque juventae  
 46 est aliis traducta locis. Sunt agmina regum  
 47 cara nec exiguos tibi Gallia jungit amicos.  
 48 Haec nocitura mihi poterunt fortasse videri,  
 49 sed sponsae superabit amor pietasque decusque  
 50 sedis honoratae. Quamquam tibi protinus uni  
 51 omnia subjaceant, dominum licet ultima norint  
 52 regna suum, Herculeis qua consignata columnis  
 53 Hellespontiaco tellus distinguitur aestu :  
 54 haec tamen est tua prima domus, tua maxima sedes,  
 55 quam sacri tenuere patres, quam corpore Petrus  
 56 innocuo, parili quam Clemens nomine pressit.  
 57 Tu, Clemens, qui Petrus eras, hanc cernere sedem  
 58 nonne voles cupiesque caput contingere mundi ?  
 59 Nonne pedis juvat in solido vestigia saxo  
 60 fixa salutiferi faciemque agnoscere Christi ?  
 61 Vel quae femineo servatur condita panno  
 62 vel populo, quae visa olim sub vertice templi  
 63 emicuit, perstatque minax horrore verendo ?  
 64 Quid referam nostrae cunabula parva salutis  
 65 et sacros postes, ubi rerum conditor ingens

66 conticuit, somnos blande suadente Maria,  
67 lac quoque vel puero optatum vel virginis almae  
68 leve puerperium ? Puraque ex carne recisam  
69 particulam infanti ? Preciosaque fragmina vestis  
70 et custoditos in saecula nostra capillos ?  
71 Quid digitum Agnetis ? Ut nunc quoque fulgidus ornet  
72 annulus, imposuit cupida quem mente minister  
73 prorsus inardescens, sacroque assenserit illa  
74 conjugio ac tali placarit foedere flammam ?  
75 Quid Petri trepidantis iter dominique monentis  
76 occursum posuisse fugam et rediisse volentem,  
77 compresso terrore, senem, cunctisque paratum  
78 exsequar ? Ipse oculis spectacula pulchra videbis.  
79 Exstat opus laterisque tremit domus arta caduci  
80 est testis pictura rei, cui (maxima quaevis  
81 causa vocet) celerans impendit saepe viator,  
82 nec se ficta quidem, sed vivos cernere vultus  
83 colloquiumque audire putans conterritus haeret.  
84 Tristis imago Dei Romana palatia versus  
85 tendit enim. Contra ille humilis similisque precanti  
86 flectitur et pavido gradientem suspicit ore.  
87 Si mortis secura igitur vestigia flexit  
88 ille retro, nec pertimuit tormenta crucemque  
89 me repetens, tu quid dubitas, cui dulcia mecum  
90 omnia, cui placidae patet augustissima vitae  
91 condicio, et summi tranquillum culmen honoris ?  
92 Quid capita heroum memorem, claramque Johannis  
93 ore cicatricem rigido ? Duramque levite  
94 craticulam et gemino fecundum martyre bustum ?  
95 Collegae cessasse locum, quo maximus hospes  
96 traditur, immotis ubi nunc amplexibus ambo  
97 felices sine fine jacent. Quis cuncta Calisti  
98 funera dinumeret cumulis surgentia miris ?  
99 Osseus est paries illic, ubi terra cruentis  
100 imbris et sacra distillant tabe cavernae.  
101 Quisve Vaticano latitantia corpora claustro  
102 expediat, quae, summe parens, agnoscere coram  
103 quid nisi caelestis fuerit regionis imago ?  
104 Conditae quin etiam supremo moenia monte  
105 aestivae nivis indicio, delubraque partu  
106 obruta virgineo et fontem torrentis olivi  
107 ac Tybridis commixta vadis nova flumina cernes,  
108 quasque dedit scatebras Pauli sanctissima cervix  
109 Dulcis aquae : quo Silvester latitarit in antro,  
110 quae Constantino species oblata deorum  
111 in somnis, niveo quas idem marmore crustas  
112 liquerit infamem monstrato gurgite morbum  
113 propellens, ut coepta Deo lis teste quierit ;  
114 quod Magus infando macularit corpore saxum,  
115 Fluxerit offenso quisnam de numine sanguis  
116 quaque sacer tellure cruor ; quis vindice caelo  
117 sanctorum capitum per maxima moenia fures  
118 nexibus implicuit foribusque avertit apertis  
119 ac trepidos meritam ad mortem circumtulit error.  
120 Non ego nunc Aron virgam, nec foederis arcam  
121 nec testamenti veteris mea pignora quot sint  
122 quotque novi monumenta sequar. Prius astra serenae  
123 noctis et Oceani numero stringentur arenae.

124 Illa libens sileo, quae sponso magna minori,  
125 quae vel prima forent, tam multis clara triumphis  
126 limina, tot celebres, domitis regionibus, arcus,  
127 insculptosque duces inscriptaque marmore bella :  
128 ista nihil motura animum et vulgata relinquo.  
129 Hos equidem ex multis, reor, admiraberis actus  
130 Caesareos, ut Tarpeio vestigia colle,  
131 fatidicae quondam ductu monitisque Sibyllae,  
132 presserit Augustus Caesar, visoque feratur  
133 obstupuisse Deo, quid tum nisi talia volvens ?  
134 "Alme puer, decus aethereum, stirps certa Tonantis,  
135 ista tibi simul atque tuis urbs inclita semper  
136 praestabit sedem, caelique vocabitur ara  
137 iste locus, surgens matris sub nomine templum.  
138 Tu dominum rerum carosque habitare nepotes,  
139 Omnipotens, hac arce jube populosque subesse  
140 atque duces validasque urbes regesque superbo".  
141 In manibus Deus ecce tuis et fata locarunt  
142 profuerintne preces an sparserit irrita ventus  
143 tam pia verba ducis ; quem tu de pectore nostro  
144 (per cunctos, age, caelicolas) averte pavorem.  
145 Nobilis aetherei superest natiqque patrisque  
146 ultio terrigenis nato commissa patrique.  
147 Cujus non animum moveant tam grandia rerum  
148 nomina, sub nostras Jerosolyma ducta secures,  
149 vilis et Ausonia venalis turba sub hasta ?  
150 Nec minus admirans Romani frena tenentem  
151 principis accipies viduam natiqque perempti  
152 poscere vindictam, simul illum fronte benigna  
153 impendere pium misere, dare verba gementi,  
154 pollicitis captare moras. " Nempe ipse revertar,  
155 lege caput sontis feriam". " Contra acrius illam  
156 obniti et cohibere manu : " Spes ista futuri,  
157 quid nisi forte redis ? " " Meus haec successor. " " Honori  
158 quid virtus aliena tuo ? " " Qua voce coactum  
159 sistere praerapidas acies et figere signa,  
160 nec prius averti quam justo colla nocentis  
161 supplicio afficeret ; lenito pectore tandem  
162 femineo, tenuisse viam victricibus astris.  
163 Quo merito infernis valida prece raptus ab umbris  
164 nunc felix caelo fruitur. Nec fortius ullo  
165 exemplo flectendus eris. Pro conjuge supplex  
166 advenio, netemne preces, neu debita differ  
167 tempus in ulterius. Quid quod prius ipsa placebam  
168 quam tibi juncta forem ? Pigeat nisi vera fateri  
169 et nisi sordet inops, vetus est nisi nupta pudori,  
170 congressus optare meos faciemque solebas.  
171 An verear ne cara minus tibi sim tua, quam dum  
172 alterius fueram ? Vulgi mos iste profani,  
173 insperata petit cupide, possessa relinquit,  
174 et probat et damnat temere, et fastidit et ardet.  
175 At tibi mens alia est, numquam vulgaria tanto  
176 corda dedit natura viro. Cur publica differs  
177 Gaudia ? Cur cessas ? Tibi me, mihi redde quietem,  
178 Italiae mundoque decus, finemque malorum.  
179 Quem si fata vetant absentem prospice saltem  
180 et memor esto mei. Nutant ingentia longo  
181 templa situ lassisque tremunt jam moenibus arces

182 praetenduntque gravem, nullo reparante, ruinam.  
 183 Rara mihi veteris superant insignia formae  
 184 effigiesque antiqua perit. Vix illa putabor,  
 185 si prope conspiciar : sic me fregere labores  
 186 assidui longusque dolor viduumque cubile  
 187 conjugibusque orbata domus. Tot tristibus una  
 188 majestas invicta viget, sintque omnia quamquam  
 189 obruta, supremis inerit per saecula saxis.  
 190 Est mihi sacra domus gemino fundata Johanni  
 191 (heu dolor, heu pietas, heu versus ad arma vetustae  
 192 religionis honor ! ) flammis absumpta nefandis.  
 193 Tecta diu neglecta jacent. Succurre nec ultra  
 194 nix sacrum premat alta solum, pariesque nec imbri  
 195 nec vento assidue circum quatiente fatiscat.  
 196 Impleat hic factis meritum clementia nomen  
 197 et tua tangantur nostro praecordia damno,  
 198 quod quondam caput exanimis (miranda relatu,  
 199 vera tamen memoro) et pallentia contigit ora,  
 200 quo furibunda die sanctis incendia muris  
 201 haeserunt, tremefacta novo pia turba tumultu  
 202 et circum sua damna frequens afferre parabat  
 203 auxilium frustra ; namque hinc violentia favillas,  
 204 hinc fumi per inane globos simul aura ferebat,  
 205 arcebatque aditu. Jam tum penetralia raptim  
 206 dum vacuat trepidus, pereant ne cuncta, sacerdos,  
 207 Pancratii caput extulerat mediosque per ignes  
 208 gestabat voti compos, generosa supellex  
 209 splendidior gemmis, rutilo preciosior auro,  
 210 sanguineo sudore palam, lacrimisque vicissim  
 211 largiter interea (monstrum memorabile semper ! )  
 212 Manabat, proceres turbamque exterruit omnem.  
 213 Testis adest populus. Quid spem mihi praeripit ergo ?  
 214 Lumina viva negent lacrimas, quas protulit horrens  
 215 sinciput, et sicci stillarunt verticis ossa ?  
 216 Quin et Achillei et socii domus inclita Nerei  
 217 in titulos erecta tuos ? Suprema minatur  
 218 Arcus effigies ; sed adhuc specimenque superni  
 219 quatuor alterno radiant splendore columnae :  
 220 ille etiam suprema tremunt, custode sine ullo,  
 221 auxiliumque tuum exspectant. Miserere nec illam  
 222 celsior arx memori tulerit de pectore sedem.  
 223 Non etenim nostro quamvis caelum omne Tonanti  
 224 pareat, astrorum quamvis regat ille meatus,  
 225 neglexit terras ideo, rerumve minorum  
 226 cura fugit, meminit sibi quae cunabula mundus  
 227 obtulit infanti, quidnam vaga praebuit unda  
 228 obsequii, quid terra manens, quid flamma, quid aether.  
 229 Nec tibi jam caelique gradus et summa tenenti  
 230 excidat affectus veteris cognominis, unde  
 231 vectus es ad superos. Solio Salvator ab alto  
 232 spectat Aventini disjectum vertice templum,  
 233 teque parum faustis succurrere moenibus orat.  
 234 Infinita sequor. Quot sunt mihi templa quot arces,  
 235 vulnera sunt totidem. Crebris confusa ruinis  
 236 Moenia reliquias immensae et flebilis urbis  
 237 ostentant lacrimasque movent spectantibus. His tu  
 238 affer opem, qui cuncta potes ; cui debita soli  
 239 Nostra salus, viduae casus miserere malignos.

240 Hoc unum post multa precor. Breviore recursu  
 241 annus eat redeatque sacer, mundoque salubris  
 242 stet morbis medicina patens, sit proxima culpae  
 243 Spes veniae, pelagusque gravi jactante procella,  
 244 sit prope naufragium portus, ne litora longe  
 245 dum petimus, miseri mediis moriamur in undis.  
 246 Nam quis ad extremae longissima tempora vitae  
 247 pervenit aut aevi centenos conficit annos ?  
 248 Non modo tantorum corpuscula nempe dierum  
 249 praestat iners natura homini. Praetervolat aetas,  
 250 vivimus et morimur oculi trepidantis in ictu.  
 251 Ergo retro metam statuas, quae crimina mundi  
 252 diluat absolvatque reos et vincula frangat,  
 253 nec nova res petitur, nec scriptis dissona sacris,  
 254 quae tibi nota uni, nisi me tua fama fefellit ;  
 255 certo ego commemini, dum quinquagesimus annus  
 256 sanctus in orbe fuit, Dominique haec jussa notavi :  
 257 "Sanctificabis eum, qui noxia cuncta remittet,  
 258 et Jubilaeus erit ". Scis quid loquor. Annue tandem  
 259 quod tua Roma gemens genibusque affusa precatur.  
 260 Nam mihi devotas quando omnia regna catervas  
 261 transmittent Italisque fluent a finibus urbes  
 262 limina sanctorum cupidamque invisere matrem,  
 263 tunc dominum licet absentem complexa videbor  
 264 ipsa meum. Dulces genetrix velut anxia natos,  
 265 conjuge longinquo, circum sua pectora cernens  
 266 seque virum spectare putans, complectitur illos,  
 267 quos videt et presso suspirat conscia voto :  
 268 sic ego conspiciens, quorum sumus ambo parentes,  
 269 meque laresque meos solabor prole frequenti,  
 270 perdita possessis mulcens et tristia laetis.

AD NICHOLAUM ALFIENSEM S.

P2\_06 v.1 Parthenopea, mihi quondam dulcissima, sedes,  
 2 nunc animo sed amara eadem nimiumque molesta est  
 3 atque oculis inimica meis, hic nempe solebant  
 4 cernere magnanimi fulgentia lumina regis,  
 5 quem modo nequicquam, mors abstulit atra, requirunt.  
 6 Seu feror in thalamos, solio meditorque sedentem,  
 7 seu, dum templa peto, sacras acclinis ad aras  
 8 in mentem sacer ille redit ; seu vertice ab alto  
 9 qualis erat dum multa loquens mulcentia caelum  
 10 doctorumque animas hominum spectabat in undas ;  
 11 seu graviter viridi ludentem in gramine cerno,  
 12 ambiguosque simul populorum absolvere nexus  
 13 et corpus recreare suum ; seu sobria festa  
 14 laetaque largifluae memini solemnia mensae ;  
 15 seu dum bella parans victricia fervidus arma  
 16 corripit aetatem supra senioque resistens ;  
 17 seu dum forte vagus magnae per moenia fertur  
 18 Urbis, equo residens niveo, procerumque suorum  
 19 larga acie cingente latus populoque favente.  
 20 Denique quicquid erat recolens, quocumque revolvor  
 21 horrorem locus omnis habet, vix alma relictiae  
 22 conjugis ora tuens gemitum ratione repressi.

23 Heu quanto spoliata bono, quo fulgure raptō !  
 24 Quas tenebras est visa pati ! Vicinia busti  
 25 Sola parit misero domini solamen adempti.  
 26 Affusus hic animo et vario sermone jacentem  
 27 compellans ex more queror, nihil ille vicissim.  
 28 At mihi libertas superest spatiosa gemendi.  
 29 Jam fletu saxum omne madet ; si longa manendi  
 30 fit mora, consumet lacrimis, ut Biblida turpis,  
 31 sic me justus amor. Sed tu miserere, fugaeque  
 32 auctor ades, meque his tandem, precor erue poenis.

AD BARBATUM SULMONENSEM S.

P2\_07 v.1 Jam mihi Parthenopem, sic rex jubet altus Olympi,  
 2 invisam mors saeva facit ; mea gloria quondam,  
 3 nunc domus exilii est ; miser ! Hic reperire videbar  
 4 posse mihi requiemque mali gemitusque levamen :  
 5 addidit heu lacrimis stimulos, alimenta dolori  
 6 ipse locus. Crucior : mecum quoque fessa laborum  
 7 flet regio, quoniam cupidis evanuit ingens  
 8 sol oculis fuscaque diem sub nube reliquit.  
 9 Nunc mihi sidereum dolor est novisse Robertum ;  
 10 aut vultum spectasse polo terrisque verendum,  
 11 quo subito cariturus eram ; nam dulcis amanti  
 12 frons memori sub corde nitet, nec regia desunt  
 13 munera, quae luctum renovent faciantque perennem.  
 14 Linquere dilectas terras et litus amatum  
 15 consilii mihi summa fuit : regina benigno  
 16 alligat imperio, sibi me parere sepultus  
 17 ille jubet, fuerat nostri cui summa potestas.  
 18 Sed dum jussa sequor, noctes cunctando diesque  
 19 praetereunt, mihi tempus iners : non carminis ulla  
 20 cura sacri, nullo sparsas modulamine Musas  
 21 in gyrum revocare juvat. Libet usque vagari  
 22 moenia dum fugiam dominique palatia rapti.  
 23 Te comitem mens aegra cupit ; non dulcior alter  
 24 colloquioque graves mulcere potentior aures.  
 25 Et tibi Pieridum studium, tibi caelitus oris  
 26 spiritus altisoni. Titulus, ne despice, vatis  
 27 te manet, extremo vertis nisi terga labori,  
 28 quod vereor minime. Calamum precor ergo parumper  
 29 pone fatigatum et propera. Neu forsā amicus  
 30 pes iter ignotum trepidet, dilecta Lyaeo  
 31 littora, quaeque biceps aperit juga celsa Vesevus  
 32 sit satis aspexisse procul, cui flammiger olim  
 33 fumabat vertex, Siculae velut aemulus Aetnae,  
 34 obruit infausta Plinii dum membra favilla.  
 35 Insula nec Capreae placeat : nam praeripit auster,  
 36 aequora permiscens, aditum ; nec longius ire  
 37 hinc abitus promissa dies tempusque propinquum,  
 38 hinc dominae mandata sinunt. Vicina Maronis  
 39 busta tui, ac tanti cinerem mens certa poetae,  
 40 siquis adhuc superest longis invictus ab annis,  
 41 visere et horrifico pertusum tramite montem,  
 42 barbato monstrante meo, Baiasque tepentes  
 43 Lucrinique situm faciemque informis Averni,

44 unde iter ad Stygias sedes inamoenaque torvi  
 45 sceptrā ducis, si vera canant. Mihi saeva videre  
 46 Ostia sufficiat, neu tristia limina tangam,  
 47 eminus ostendens digito, quo calle profundas  
 48 Aeneas tranavit aquas, comitante Sibylla :  
 49 cui socium commisit humo nomenque sepulti  
 50 quis modo collis habet. Veteri mihi cognita fama  
 51 pars etenim, jussu quondam pars altera regis  
 52 visa quidem propere, quoniam, dum dulcia semper  
 53 flumina verborum sitiens sequor ipse suorum,  
 54 defuit incepto spatium. Periisse putabam  
 55 tempus ab illius facie quodcumque fluebat  
 56 longius ; invidit nostre fortuna quieti  
 57 praeciditque moras ; necdum satiatus ab illo  
 58 distrahor, hinc felix, parvo quod tempore quamquam,  
 59 haud alio permixta fuit mea sacra voluptas.  
 60 Praeterea partem in pelago cupidissimus hausi,  
 61 multa mihi rauco puppis memorante magistro,  
 62 nil nisi Misenum toto cum litore nosset ;  
 63 pars scriptis credenda fuit. Tu cernere coram  
 64 cuncta dabis rarique diem mihi muneris instar  
 65 Solis ad occasum tribues peregrinus ab ortu.

AD NICHOLAUM ALFIENSEM S.

P2\_08 v.1 Immemor haud vestri, quamvis me longa viarum  
 2 taedia per dubios casus nimiosque labores  
 3 mente fatigatum potius quam corpore tandem  
 4 reddiderint patriae, pes ut sua presserat arva,  
 5 dextra labans calamum rapuit ; sed magna parantem  
 6 viribus exiguis, oneri succumbere par est.  
 7 Qui solem lippis oculis tentare putabam,  
 8 lumine confusus stupui. Tua jussa precesque  
 9 tangebant ; urgebat honos meritumque perempti  
 10 Regis ut assurgens signarem carmine bustum.  
 11 Ingenium tardabat iners, res maxima regem  
 12 est Siculum laudare satis : stupor ora ligarat  
 13 cunctantem, pungebat amor : quid multa ? Coactus  
 14 grande opus aggredior paucis perstringere verbis ;  
 15 sed dum caelestem mortali carmine famam  
 16 prosequor, eloquium medio me liquit in actu.  
 17 Si breve, da veniam ; quodsi, te iudice, forsan  
 18 angustum verbosa prement epigrammata marmor,  
 19 deme supervacuum, me permittente, tuoque  
 20 temperet arbitrio titulum mensura sepulcri :  
 21 denique versiculos, quos mens lacrimosa peregit,  
 22 qualescumque putas, placido, precor, aspice vultu,  
 23 si tibi carus erat quem mors modo tristis abegit.  
 24 Hic sacra magnanimi requiescunt ossa Roberti,  
 25 Mens caelum generosa petit. Nunc gloria regum  
 26 interiit, nostrique ruit decor unicus aevi.  
 27 Militiae flos summus erat specimenque vetustae  
 28 indolis, egregius bello, sed pacis amicus.  
 29 Hoc duce, barbaricum poteras, Hierosolyma, collo  
 30 excussisse jugum ; poteras, hoc arma movente,  
 31 pellere pestiferos, Trinacria serva, tyrannos.



32 Rex erat ambabus : mors impia clausit utrique  
 33 libertatis iter ; merito gemis utraque tellus,  
 34 servitio damnata fero. Nec gratia linguae  
 35 nec minor ingenii laus hunc quam gloria dextrae  
 36 extulerat ; siluit sacrae tuba maxima legis.  
 37 Quis superest alius naturae conscius usquam,  
 38 herbarumque potens, nitidi spectator Olympi ?  
 39 Morte sua viduae septem concorditer artes  
 40 et Musae flevire novem. Dulcedine morum  
 41 Angelicus factisque fuit. Patientia templum  
 42 pectoris hujus habens illo pereunte peribat,  
 43 omnis in hoc virtus secum jacet orba sepulcro.  
 44 Acceptus fuit ille Deo, venerabilis orbi,  
 45 transcenditque hominem. Gemitu prohibente maligno,  
 46 digna nequit calamus tanto praeconia regi  
 47 reddere ; sed terras canit hunc sua fama per omnes,  
 48 aeternumque canet nullum tacitura per aevum.

AD GABRIELEM ZAMOREUM PARMENSEM S.

P2\_09 v.1 Solus eram, dulcisque aberant mea cura sorores  
 2 Castaliae, quas morbus iners a limine longe  
 3 expulerat nostro, patriumque Helicon tenebant.  
 4 Cura animum, scabies dextram importuna vagantem  
 5 huc illuc versabat agens : lux alma quietem  
 6 nulla diu dederat, tacite nec tempora noctis  
 7 absque dolore truci, nec somnus amicior umbris  
 8 transierat, calamusque piger squalensque papyrus  
 9 pulvereoque obducta situ, et manus aegra jacebat.  
 10 At rari stratis aderant veteresque libelli,  
 11 invisum medicina mali, titulumque secutus  
 12 illustrem, Ciceronis opus, finesque bonorum  
 13 Attigeram, tanta implicitos caligine rerum,  
 14 ut, nisi divini qua lux intermicat oris,  
 15 hanc patriam errorum variis amagibus illo  
 16 tempore possessam fatear. Sed latius ista  
 17 sunt alio tractanda loco, nunc vertitur unde  
 18 sermo abiit. Sic ergo inhians avidusque notandi  
 19 quid silva in tanta pugnancia multa loquentum  
 20 verius, herebam cartis tacitusque manebam,  
 21 meque ipsum curasque alias oblitus inanes,  
 22 cum mihi visus enim volucres audire Camenas  
 23 et reducem spectare chorum ; dulcedine mira  
 24 impleor. Ecce autem tua dives epistola blande  
 25 in gremium delapsa meum. Nisi fallimur, inquam,  
 26 haec fert grande aliquid : reditus sic ille sororum  
 27 improvisus enim, sic nominis ampla meretur  
 28 fama tui, nunquamque alias vox consona vulgi.  
 29 Nam facies mihi nota parum. Nec aperta fefellit,  
 30 nec decies perlecta quidem ; tamen ora legentis  
 31 invasit pudibunda rubor testesque vocavi  
 32 Pierides ; mihi tam magnae praeconia famae  
 33 non optata quidem, nec debita. Sufficit unum  
 34 Parnasi tetigisse latus collisque supremo  
 35 vertice praeclaros procul aspexisse poetas.  
 36 Si tamen asperior ferias fortuna dedisset

37 nec mundus strepuisset iners, fortasse parumper  
 38 ascensurus eram. Nunc me super astra locantem  
 39 irridere putem, nisi te tua cognita virtus  
 40 suspicione levet. Sed in his non immoror ultra.  
 41 Nam laudes damnare suas perversa voluptas  
 42 esse solet multis, dum quod fugiuntque negantque  
 43 calle petunt alio. Quoniamque hic pondere parvo  
 44 praegravat invalidum calamus, crescensque fatigat  
 45 jam tremulam scriptura manum, stat claudere carmen.  
 46 Prora fretum, facilem puppis jam spectat arenam.  
 47 Foedus amicitiae, votis mihi nempe petendum,  
 48 exposcis. Vereor nequid modo fama vetusto  
 49 more loquax mentita tibi, praesentia vero  
 50 neu faveat, noceatque mihi. Tamen ecce precanti  
 51 occurro, cumuloque preces : tu videris ante  
 52 quae cuperes quam parva forent. Contra ipse secunda  
 53 sorte fruar, cui mille dolos, cui mille rapinas  
 54 vulnera mille volens tanto pro munere dono.  
 55 Utque animi tibi signa mei manifesta pateant,  
 56 mittitur errorem quae purget epistola, certi  
 57 nuntia, quam fragili conscendimus alta volatu  
 58 Remque supergrediens quantum spes pectus amici  
 59 luserit. Haec autem intrepidus jam certus amoris,  
 60 iudicii jam tutus, ago ; nam sera profecto  
 61 quos semel elegit damnat sententia mores.  
 62 Parcius haud solito, sed dilige certior ergo  
 63 ut sumus, absimili quamquam secernimur astro.  
 64 Nec factis nec voce pares : diversa sub unum  
 65 Mittit enim duo colla jugum qui maxima parvis  
 66 aequat amor, regem servis, inopemque potenti.  
 67 Hic catulum magno commendat saepe leoni,  
 68 Hic olim Augusto Flaccum dedit atque Maronem,  
 69 Euripidem Archelao, nec barbarus obstitit horror ;  
 70 jussit et ut nostro rudis Ennius ille placeret  
 71 Scipiadae, in partem lauri venturus opimae,  
 72 et vitae mortisque comes custosque sepulcri.  
 73 Hoc duce, si tantis sim connumerandus, amavit  
 74 me quoque rex regum, fuerat dum vita, Robertus :  
 75 et modo magnanimus humilem non despicit iste.  
 76 Denique sideribus ligat hic elementa polosque,  
 77 herbis conciliat pluvias atque astra lapillis,  
 78 vallibus hic montes sociat terrasque profundo,  
 79 Hic hominemque Deo et caelum connectit Averno.

## AD ZOILUM S.

P2\_10 v.1 Distrahis atque animum curis melioribus aufers  
 2 et calami pervertis iter. Fueratque tacere  
 3 cautius ; at stimulis residem pungentibus urges :  
 4 da veniam, si vera loquor, licet aspera dictu,  
 5 cogor enim. Studiis emitur sequiturque laborem  
 6 laurea, perrarum decus atque hoc tempore soli  
 7 speratum optatumque mihi. Quis nescit agrestum  
 8 praemia post meritum ? Pudet haec dubitate diserto,  
 9 si dubitas vere ; quodsi tentare libebat,  
 10 certe alio tentandus eram tibi fortius ictu,

11 ut quaterer. Quid enim ? Lux ergo novissima forte  
12 expectanda fuit jungendaque pompa sepulcri  
13 ac pretium studii ? Si debita fine laborum  
14 laurea, non aliter, non hanc Aeneide sacra  
15 Virgilius meruit, non qui Pharsalica Tempe  
16 sanguine complevit Latio ; licet ille, negato  
17 calle petens, alia tulerit ratione repulsam.  
18 Cognita commemoro : quid ? Quod ceu sponsa decoram  
19 arguor Haemonia lauro gestasse coronam ?  
20 Florea virginibus, sunt laureaserta poetis  
21 Caesaribusque simul ; parque est ea gloria utrisque ;  
22 arguor improprie. Sed quid vir providus addit ?  
23 Vidimus ornatum lauro, quem (protinus inquit)  
24 non prius audieram. " Velut omnia pulchra relatu  
25 audieris. Quam multa mihi, licet ampla, tibi que  
26 non audita putas ? Nam quantula portio rerum  
27 unius ingenii laus est ? Decet alta modeste  
28 cernere, seque prius. Sed enim mea carmine numquam  
29 sunt audita tibi ? Quid refert ? Forsitan illa  
30 non tibi (parce precor) cecini : legit illa Robertus  
31 concivis meus egregius, quem Julia nostro  
32 tempore Pariseos studiorum tertia nutrix  
33 suspicit et toto venerantur ab orbe magistri.  
34 Tuscus et Aeneas legit et Rainaldus in antris  
35 altus Apollineis, ingens legit illa Johannes :  
36 Barbatus legit illa meus, sociique fideles  
37 auribus excipiunt cupidis et pectore servant.  
38 Ut cunctas livor seu sors obstruxerit aures,  
39 ipse mihi Musisque canam ; plausorque pudendus  
40 ingenii nec frena mei, nec calcar habebit.  
41 Cur redit in dubium totiens mea laurea ? Numquid  
42 non satis est meruisse semel ? Decuitne per urbes ?  
43 Circumferre nova viridantia tempora fronde,  
44 testarique greges hominum, populique favorem  
45 infami captare via ? Laudarier olim  
46 a paucis mihi propositum : quid inertia vulgi  
47 milia contulerint, quid murmura vana theatri ?  
48 Ergone Trinacrio minor est mihi carmine regi  
49 gloria, quam turbe passim placuisse furenti ?  
50 Reginaeque minus Capitolia profuit urbis  
51 scandere, quam vacuas studio lustrasse paludes,  
52 avia quam nemorum, rudibus quam rura colonis,  
53 atque inopes sparsasque casas ? Incognita vestro  
54 carmina nostra foro ; quid rustica moenia nobis  
55 obiciunt ? Quo jure fremunt ? Satis esse putavi  
56 terrarum petiisse caput. Qui victor in arcem  
57 signa tulit, summa securus sede quiescat  
58 extremas nisi forte jubes ambire cloacas  
59 figentem obscaenis victricia postibus arma.  
60 Noscor ubi placitum, laudat mea carmina Tybris,  
61 Parthenope studiosa probat, nec terra Nasonis  
62 respuit, aut Flacci, nec qui Cicerone superbit  
63 cive simul Marioque locus, nec Gallia nostri  
64 inscia, nec Rhodanus. Quid inepta colonia tantis  
65 una nocet titulis, fulvi cui gratia nummi,  
66 ventris amor, studiumque gulae somnusque quiesque  
67 esse solet potior sacrae quam cura poesis ?  
68 Mantua Virgilium genuit, Verona Catullum

69 et Plinios nostrosque aliquot servavit in annos.  
 70 Urbs Antenoridum quantos celebravit alumnos  
 71 nunc, quoniam numerare labor, quot Cimbria, nuper  
 72 saecula Pergameum viderunt nostra poetam,  
 73 cui rigidos strinxit laurus Paduana capillos,  
 74 nomine reque bonum ; Latiique in finibus orbis,  
 75 Pierios animos Alpīs tulit ora nivose,  
 76 Parma aevo collapsa sui monumenta Macrobi  
 77 ostentat, vetus usque novo me carmine saxum  
 78 nobilitare jubens, nec eadem degener urbe est  
 79 Cassius. Has inter docta urbs tua sola carebat  
 80 vate diu proprio, nisi te sibi fata tulissent,  
 81 purgantem patrias calami splendore tenebras  
 82 longaque parvificis abolentem obliviam terris.  
 83 Caucaseum Romana jugum transcendere fama  
 84 distulit, Europae jam tunc Asiaeque tremenda :  
 85 at mea, quod vestrae nondum sit cognita plebi,  
 86 ceu tenebris damnata jacet. Si reddita pridem  
 87 est ratio, reddenda iterum ; nova gloria regum,  
 88 Rex Siculus, caelo pro me respondet ab alto,  
 89 qui modo, dum terris habitat, mihi muneris auctor  
 90 maximus insoliti, famam invidiamque reliquit  
 91 adiciens causam, quod opuscula, iudice tanto,  
 92 nostra forent tanti. Melius sibi cognita forte  
 93 quam tibi ; nocturnas studiis gravioribus horas  
 94 surripiebat enim vigilique ingesta lucernae  
 95 immemor interdum cenae somnique legebat,  
 96 meque, tibi ignotum, tanto dignatus honore est,  
 97 ut, procerum primis sub regia tecta vocatis,  
 98 plurima nostrarum caneret praeconia laudum.  
 99 Vera utinam ! Quam vera tamen rex viderit ipse.  
 100 Quin etiam magno promunere parva petita est  
 101 "Africa " nostra sibi. Memini suprema benignus  
 102 oscula, et heu nunquam fatis iteranda, parabat,  
 103 cum duo dona pio placidissimus ore poposcit.  
 104 Obstupui : quid enim immenso donare pusillus  
 105 posse videbatur ? Sed quid, nisi carmina, vellet  
 106 largus opum divesque animi et virtutis amator ?  
 107 Carmina mansurae sedem tribuentia fama,  
 108 hoc petiit primum : pectus calamumque pudenter  
 109 excuso, fragilesque humeros sub pondere tanto.  
 110 Instat ab adverso, dubio lis fine resedit,  
 111 concessisse sibi ut videar, mihi prima negasse  
 112 proxima dona libens tribuo ; cui dignius aulae,  
 113 Scipiadae, mittendus eras ? " At perfida et altis  
 114 invida principiis illum fortuna repente  
 115 sustulit interea. Nunc, tanquam lumine raptō,  
 116 nescius in tenebris liber est, quo flectere cursum  
 117 cogitet, et toto nullum videt aequore portum.  
 118 Heu cineres bustumque petet, qui turbine quamquam  
 119 dilatus vario, multos absumpserit annos.  
 120 Si foret hic vestram tandem mittendus ad urbem  
 121 jam satis exornatus erat, mihi crede, superque,  
 122 sed dum multa timet venturaque saecula terrent,  
 123 haeret adhuc tacitus ; cujus si laurea serum  
 124 expectasset iter (quod mens praesaga timebat),  
 125 mortis ab insidiis jam circumventa fuisset.  
 126 Hinc prior ille abiit, cujus post funera nullum

127 examen subiturus eram ; nam maxime nondum  
128 tu mihi notus eras. Fateor mea crimina : tempus  
129 anticipasse juvat, quamvis nec pauca viderem  
130 scripta mihi jam tum. Laudati carmina Vari  
131 nulla meos feriunt oculos, tamen inclita pectus  
132 fama ferit. Scriptis ego sum tollendus in altum :  
133 his sine nullus ero. Numquid tamen illa probari  
134 est opus et vulgo ? Titulo caruisse poetae,  
135 abjecisse graves spoliato vertice ramos  
136 maluerim et longis latuisse inglorius annis.  
137 Hactenus haec. Nova lis oritur ; quo tramite vertar ?  
138 Conquerar an taceam ? Risumque refellere risu  
139 sufficiat ? Risum moveo ? Sic vite meretur  
140 nostra, quidem, fateor ; sed numquid carmina risum ?  
141 Promerere etiam lacrimas, quae saepe severis  
142 extorsere oculis, sic tristia forte volutant  
143 nunc mea fata vices, ut qui rorantia vidi  
144 inclita Romulei, dum proloquor, ora senatus,  
145 regis et indomiti frontem pietate remissam  
146 ridear ignavo (proh sors malefida ! ) popello ?  
147 Altera legitimae superest mihi causa querelae.  
148 Quis modus audendi quaeve ista licentia fandi ?  
149 Tela fremens Helicone rapis, quibus agmina vatium  
150 impetis et nostros in nos accingeris enses,  
151 ante alios Flacci, cujus te scripta monere  
152 occipit ut scabatur, tenero nec parcitur ungui,  
153 vate sacrum decies clam castigante poema,  
154 debuerant, rigidamque notis adjungere limam.  
155 Mendaces vocitare quidem insanosque poetas  
156 in primis furor est mendaxque insania. Vere  
157 vera canunt, aures quanquam fallentia surdas.  
158 Has etenim sprevisse licet. "Puerilia vatium  
159 hinc studia appellas ? " Puerilis ineptia quorsum  
160 impulit errantem calamum ? Puerilia Caesar  
161 Julius et toto regnans Augustus in orbe  
162 tractarunt igitur ? Quaedam divina poetis  
163 vis animi est veloque tegunt pulcherrima rerum  
164 ambiguo quod non acies nisi Lyncea rumpat,  
165 mulceat exterius tamen alliciatque tuentes  
166 atque ideo puerisque placent senibusque verendis.  
167 Insanire licet, fateor ; mens concita clarum  
168 seque super provecta, canet. Vulgaria oportet  
169 linquere sub pedibus ; magnum hinc subsistere nullum  
170 censuit ingenium, nisi sit dementia mixta,  
171 iudice qui populo docti cognomen habere  
172 cepit et altisonum liquit post terga Platonem  
173 dixit idem cunctis : quae tanta infamia vatium ?  
174 Quo ruis ulterius ? Media nos pellis ab urbe,  
175 sed paulum exspecto, jam sponte recedimus omnes  
176 et nemorum secreta placent turbamque nocentem  
177 odimus ac laeti campis spatiamur amoenis.  
178 Hinc quia prospexit, cui primum publica curae  
179 res fait, adversos populi nos moribus, illum  
180 moribus infestum nostris studioque futurum,  
181 discrevit populo strepitum, rus vatibus alium  
182 solivagis, vacuaeque bonus dedit otia silvae  
183 liberiusque solum ; nam quae mixtura perennis,  
184 hos stupor attonitos alti caligine veri,

185 hos autem maestos semperque quietis egentes,  
 186 turbida solliciti tenuissent taedia vulgi.  
 187 Consultum hinc illinc : igitur non urbibus acri  
 188 pellimur exilio : sequimur meliore volentes.  
 189 Nonne deum primos olim quaesisse poetas  
 190 inquit Aristoteles ? Num sanctos caelitus aura  
 191 divina afflatos, et munera rara deorum  
 192 Marcus ait Cicero ? Fautorque domesticus omnis  
 193 exulet, externi causam tueantur honestam.  
 194 At, nostros nisi forte vetes ad rostra venire,  
 195 vicimus haud dubie. Quis praeclarissima bella  
 196 Heroum moresque graves et nomina nosset ?  
 197 Quis stimulis animos ageret per mille labores  
 198 perque altum virtutis iter ? Quis tristia vitae  
 199 demeret implicite dulci fastidia cantu ?  
 200 Ora forent quasi muta hominum, si spiritus orbi  
 201 deforet Aonius ; virtus ignota lateret,  
 202 in se clara licet, studiorumque impetus omnis  
 203 torperet ; linguae nam fundamenta latinae  
 204 nulla forent, quibus egregiae stant sedibus artes,  
 205 in quibus omne procul nobis ostenditur aevum  
 206 Nostraque venturis longum servabitur aetas.  
 207 Hic tamen occurrit Cherilus vel Aquinius aut qui  
 208 tempus in infami multum posuere libello,  
 209 scriptorum plebeia cohors. Sed dic mihi, quaeso,  
 210 quaenam turba hominum multos non pascit inertes ?  
 211 Rara quidem ingenii bona sunt, semperque fuerunt,  
 212 semper erunt : paucos altum tenuisse videmus.  
 213 Aspice Virgilium : numquid pueriliter ille  
 214 terrarum caelique plagas et sidera lustrat ?  
 215 Ista palam. Quam multa latent ? Quid fratribus atris  
 216 Aeolus imperitans, aut quid super addita moles  
 217 montis, et ipse sedens sublimi vertice rector ?  
 218 Quid pius Aeneas, socius quid signet Achates ?  
 219 Quid Venus ambobus mediae velit obvia silvae,  
 220 quo peregrina virum circumdet corpora nimbo,  
 221 qua nubem sub nube tegat ? Quid cantet Iopas ?  
 222 Quid Bitias magno paterae bibat impiger haustu ?  
 223 Quid vehat asper equus, misereque incendia noctis  
 224 insultansque Sinon, genetrixque affixa furenti  
 225 inter tela duci, mox ut digressa per umbras,  
 226 apparere deos infestaque numina Trojae.  
 227 Quo feror ? Hic nullum invenies sine tegmine versum.  
 228 Praetereo reliquos. Quid Flaccus Horatius ardens  
 229 an laevam dextramne viam monstrare videtur  
 230 et magnum formare virum ? Sed nostra relinquo.  
 231 Orpheus, Amphion vel natus Apolline Linus  
 232 atque parens Museus et quos mirata deorum  
 233 Graecia subscripsit statuis pueriliter aevum  
 234 tam longum peperere sibi ? Quid protinus alto est  
 235 altius Euripide, magno quid majus Homero ?  
 236 Quae loca, quos portus, gemini quae litora ponti,  
 237 quae freta, quas classes, quae proelia quosve ferarum,  
 238 quos hominum motus oculis, quibus ipse carebat,  
 239 non subjecit enim ? Mores populique ducumque  
 240 pinxit et e numero plebis secrevit Ulixem,  
 241 quem mihi non vana circumtulit arte, Charybdim  
 242 Scyllaeosque canes ut sperneret, atque Cyclopem

243 Sirenumque modos et amantis pocula Circes.  
 244 Quid moror in verbis ? Sacri nec dogma Platonis  
 245 nec Socrates aliud, titulum nec nacta sophiae  
 246 cetere turba docet, quam quod cantare solemus.  
 247 Dicet ad haec aliquis : " Cur per juga celsa fatiger ?  
 248 Huc via fert humilis ". " Mens delectata laborem  
 249 spernit, ad haec brevitatis memorem succincta relinquit,  
 250 et dulces iterare sonos juvat usque legendo ".  
 251 Certus abhinc veniae, pueros vocitare memento,  
 252 o famose senex, atque inclinare caveto  
 253 caelestae ingenium, et vatum vestigia vita,  
 254 insanum genus hoc hominum. Piget illa deinceps  
 255 vana sequi, vilis nobis ut pascitur hircus,  
 256 nescio cui merces ea sufficit ; est mihi famae  
 257 immortalis honos et gloria meta laborum.  
 258 Corniger at quantum tegat hic sub pellibus hircus  
 259 quot nescire putas ? Soccus bonus atque cothurnos  
 260 praemia Musarum tandem statuuisse videris ;  
 261 falleris, est habitus quem saecula nostra licenter  
 262 postposuisse vides, postquam deferbuit ardor  
 263 Pierius cessitque retro. Quo nomine signer  
 264 respondere jubes ? An ne ad praetoria ventum est ?  
 265 Jure agitur mecum consignatisque tabellis ?  
 266 Qui sim, quemve sequar callem, stilus ipse, tacente  
 267 me, loquitur. Num plura jubes ? Sed epistola finem  
 268 longa petit. Dabitur ; quam si sonuisse putabis  
 269 altius, excuser, parcant aures oculique.  
 270 Gloria nulla etenim verbis optata superbis,  
 271 nulla petita mihi. Tua me violentia adegit,  
 272 nec loquor, ut laesi vindex Heliconis (an ille  
 273 hoc eget auxilio tantisque armatus alumnis ? ).  
 274 Praecipue quia, quo secum pugnare parasti,  
 275 plumbeus est gladius, facilique retunditur ictu :  
 276 nec velut assertor proprii cognominis arma  
 277 Musarum pro parte tuli, sed turpiter illas  
 278 majestate sua sacro spoliarer ausu,  
 279 quis tacitus perferre queat ? Quae perlegis autem  
 280 non tibi dicta putes, sed qui te bella movere  
 281 compulit. Agnosco ingenium Musisque sacratum  
 282 pectus, at externae resonant convicia linguae  
 283 in scriptis, dilecte, tuis. Illumque profecto,  
 284 quisquis erat, mordax (nunquam tibi cognita pestis)  
 285 invidia urebat. Sic nobilis Africa surgat,  
 286 sic mihi virgineus clausae penetralia Cyrrhae  
 287 rite chorus reseret faveatque supernus Apollo.  
 288 Tu tamen hoc illi nostris, carissime, verbis  
 289 dic, precor ut, quotiens alieno invidit honori,  
 290 invideat studiis pulchro invideatque labori.

AD LUCHINUM VICECOMITEM S.

P2\_11 v.1 Argolicas si fama volans vulgata per urbes  
 2 arboris Ausoniae quondam, dum splenduit aetas  
 3 Aurea, Saturno terris regnante, fuisset :  
 4 ut reor, Eurysteus nunquam tot ferre labores  
 5 cogeret Alcidem, sua ditia poma draconi

6 hortulus Hesperidum male custoditus haberet :  
 7 hoc potius mandaret opus, nec vinceret aurum  
 8 nativi dulcoris opes. Felicius omni  
 9 es, Latium, tellure, quidem praefertilis ora  
 10 Italiae, quam fulva Ceres viridisque Minerva,  
 11 purpureus quam Bacchus amat. Tu frondea capris,  
 12 florea mellificis apibus, pecorique vicissim  
 13 pascua et irriguis late pulcherrima pratis.  
 14 Tu redolens ortis, variis scatebrosa metallis,  
 15 Arboribusque virens, silvis umbrosa vetustis,  
 16 Alitibusque ferisque frequens, venatibus apta,  
 17 aucupioque placens, lacubus piscosa profundis,  
 18 fluminibus distincta vagis et portubus omne  
 19 tuta latus duplicique sedens circumflua ponto,  
 20 mirificis insignis aquis, et aprica recurvis  
 21 vallibus, assurgensque jugis aestate nivosis,  
 22 perque hiemes medias ad littora vere benigno  
 23 temperieque fruens, caelo tranquilla sereno,  
 24 semper odoriferis nebulas purgantibus auris  
 25 urbibus ampla tuis atque arcibus alta tremendis,  
 26 consilioque vicens populisque invicta superbis,  
 27 et terra pelagoque potens, ac rite supremum  
 28 Imperium testata situ, ceu calcibus orbem  
 29 concutias, stimulative loco praetendis Hydruntem,  
 30 Brundisiumque biceps Arctoio obicis undis :  
 31 at matutini qua prospicis ostia Phoebi,  
 32 flexa Crotona tegit, Graiumque a stirpe Tarentum  
 33 planta pedis ; Regium zephiros a pollice frangit,  
 34 et Neapolis medium femur occupat altum  
 35 janua, et exstantes Tyrrheno in flumine Pisae.  
 36 Urbs Venetum diversa tenet veterisque Ravennae  
 37 moenia et Ariminum terrarum terminus olim,  
 38 ac salis Adriaci rabiem quae despicit Ancon.  
 39 Quid Mediolanum, medias quod grande medullas  
 40 robur alit, Patavumque potens fortemque Veronam ?  
 41 Quid modo te memorem, studiosa Bononia ? Vel quid  
 42 te, genetrix mea cara, loquar, Florentia, quondam,  
 43 squalida nunc populique manu lacerata furentis,  
 44 ac nusquam jam stare valens ? Quid carmine longo  
 45 litus utrumque maris, medii quid prosequar imum  
 46 montis utrumque latus ? Series immensa ! Reate  
 47 centron habet, validoque ingens stat poplite Roma,  
 48 cuncta movens rerumque caput, domus alta Tonantis  
 49 ac sedes terrena dei, terrorque subacti  
 50 orbis et innumeris caelo exaequata triumphis.  
 51 Salve, bellipotens regio pacisque magistra,  
 52 ingeniis ornata sacris conditaque dulci  
 53 eloquio, excellens cunctas quas maximus ambit  
 54 Oceanus nulliqua satis laudata, virorum  
 55 et legum generosa parens, mihi latius ipsi  
 56 forte alio cantanda loco ! Nunc obtulit arbor  
 57 materiam fecunda brevem, quod dulcia tellus  
 58 Itala de ramis legeret non aurea poma,  
 59 iudice certa loquor gustu ; pars ultima laudum,  
 60 en glaciale pirum sese commendat abunde.



## AD PAULUM HANIBALENSEM ROMANUM S.

P2\_12 v.1 Dum memini moresque tuos faciemque benignam  
 2 verbaque magnanimum liquido testantia pectus,  
 3 taedia longarum et discrimina mille viarum  
 4 commeminisse juvat. Terris optandus et undis  
 5 tantus amicus erat ; nimio constare labore  
 6 nec poterat. Penetramus enim peregrina furentes  
 7 litora, nec scopulos pelagi nec monstra timemus,  
 8 urget avaritiae stimulus. Proh ! quantula mortis  
 9 praemia barbaricis aurum rapuisse cavernis,  
 10 Maternoque sinu nitidos pepulisse lapillos,  
 11 vel piper exiguum ramo legisse nigranti.  
 12 Sordet amicitiae studium. Contraria longe  
 13 mens mihi : nam fido nullus par census amico,  
 14 nullo auro pensanda fides. Tua cognita late  
 15 fama quidem, tibi me, mihi te, nec fama profecto  
 16 nec virtus, sed fata dabant. Traxisset ad Indos  
 17 spes tanti longinqua boni ; natura pepercit  
 18 hos mihi circuitus, terrasque habitare propinquas  
 19 nos voluit, tempusque dedit concurrere in unum.  
 20 Obfuit at rerum cumulus, nec longa videndi  
 21 Libertas et sera fuit ; raptimque revellor  
 22 ex oculis, optate, tuis, hoc praestitit autem  
 23 praesentem vidisse semel, quantum libet absens,  
 24 ut praesens videare mihi, et quae plurima mecum  
 25 dulcia mellifluo gradiens simul ore serebas  
 26 moenia dum lacerae, specimen miserabile, Romae  
 27 monstrares digito meque inter singula verba  
 28 aspiceres oculis rorantibus : " Ultima, dicens,  
 29 haec mihi labentis patriae fragmenta reservat  
 30 sors mea, suspicioque libens ; nec, sospite Paulo,  
 31 funditus ista ruent manibus convulsa nefandis".  
 32 Laetabar memorique nihil sub pectore sedit  
 33 altius. Agnosco Romani principis ingens  
 34 propositum mentemque piam. Nunc pacta reposita  
 35 Roma senex juvenem rogitat : miserere cadentis  
 36 pollicitisque mane : celsum decet ardua rerum  
 37 cura animum, decet eventus ex corde secundos  
 38 urbis amare suae, casus prohibere malignos,  
 39 sustentare manu fessam, relevare jacentem.  
 40 Non tibi, sed patriae satus es. Cui justius armos  
 41 subicies oneri ? Quae sarcina pulchrior usquam ?  
 42 Nec te parva manet servatis fama ruinis,  
 43 et quanta integrae fuit olim gloria Romae  
 44 reliquiae testantur adhuc ; quas longior aetas  
 45 frangere non valuit, non vis aut ira cruenti  
 46 hostis, ab egregiis franguntur civibus. Heu, heu !  
 47 Quae rabies ! Occurre malis, hoc scilicet unum  
 48 est ubi te prorsus majorum a stirpe tuorum  
 49 degenerare velim. Vigeat mavortia virtus,  
 50 militariaeque decus, nitidi sit larga metalli,  
 51 sit ferri secura manus, perduret equorum  
 52 jugis amor, studiumque canum culturae silvae,  
 53 artes nobilium liceant. Prosternere turres  
 54 immeritas, patriaeque in viscera mergere dextras,  
 55 si nescis, hostile opus est. Sed forsitan error  
 56 huc patres tulit ille tuos, ut moenia sacrae

57 eruerent urbis, quod se de sanguine natos  
 58 Hanibalis jactare solent ; mirabile non est,  
 59 heredum si jura tenent, quodque illa nequivit  
 60 perficit hic aries. Tua fortia pectora mendax  
 61 gloria non moveat. Quamquam clarissimus ille est  
 62 artibus armorum, magnum tamen impia nomen  
 63 aequant acta ducis parque est infamia laudi.  
 64 Nota loquor, fuerit potius tibi sanguinis auctrix  
 65 Scipiadum divina domus, nova nomina sumens  
 66 hostibus a domitis, Afroque ex more, subactus  
 67 Hannibal haec domui dederit cognomina vestrae.  
 68 Ergo age, tantorum vestigia fortis avorum  
 69 ingredi et patriam supremo in tempore serva,  
 70 ac pius annosae baculus, precor, est parenti.

AD LANCELOTUM PLACENTINUM S.

P2\_13 v.1 Mirabar quo te subitus praecepsque tulisset  
 2 impetus, ut cultos divum tibi more poetas  
 3 semper, ob unius odium, fortasse procaci  
 4 vulnere tentares. Potuissem parcere, si me  
 5 non Helicon simul totum furor ille notasset.  
 6 Ceperat indignans calamum manus, ira jubebat  
 7 aspera mordaci compescere carmina versu ;  
 8 sed trabe nodosa gravior, passusque per omnes  
 9 subsistens, haec verba dabat : " Violenter amicum  
 10 armor in immeritum, scelus at patiemur inultum ?  
 11 Duc age, duc quo jure licet". Dum talia mecum  
 12 ille ageret, sonuit querulo sub cardine limen :  
 13 nuntius ante fores aderat tuus. Omine sensi  
 14 quid veheret : te te purgas, et crimina certum  
 15 vertis in auctorem. Frons est nitidissima vero ;  
 16 illicet agnoscoque dolum calamumque morantem  
 17 absolvo, moxque hunc alacrem cupideque sequentem  
 18 quo se cumque traham, detectum laesus in hostem  
 19 dirigo, nec paucis purgata calumnia vatam est.  
 20 Ille tamen frustra tacitus mihi semper abibit,  
 21 speratumque meo nec habebit carmine nomen.  
 22 Nunc ad te redeo, quod nondum transfuga colles  
 23 Aonios fontemque colis turbamque profanam  
 24 effugis ingenuas calcantem ac despicias artes.  
 25 Gratulor : haec via te superas attollet ad arces  
 26 servabitque diu, populo pereunte caduco ;  
 27 concepti veniamque precor sermonis. At ille  
 28 obstrepitor (si livor eum tam perfidus urit  
 29 supplicium ut tacuisse putet, si tanta voluptas  
 30 otia nostra suis studiumque lacescere verbis)  
 31 quid struit insidias ? Campo se credat aperto,  
 32 subscribat nomenque suum nec se tegat umbra  
 33 nominis externi, propriisque occurrat in armis.  
 34 Nanque Meneciades galea mentitus Achillem  
 35 cupidis Hectoreae cecidit non cognitus ictu.

## AD IOHANNEM DE COLUMNA CARDINALEM S.

P2\_14 v.1 Impia mors, quotiens oculos calamumque fatigas,  
 2 carmen et in lacrimis, lacrimas in carmine misces ?  
 3 O genus humanum et longae sors pessima vitae,  
 4 cernere carorum pallentia corpora saxis  
 5 obruta, fundendos totiens avellere canos,  
 6 et viduam longa traducere morte senectam !  
 7 Lumina quis morientis erit, qui condat humetque,  
 8 si pergis saevire, ferox ? Hoc saeva parabant  
 9 Astra nefas ? Cogar ne igitur sine fine superstes  
 10 omnibus esse meis, nec me dolor ipse necabit ?  
 11 Heu domus illustris ! solitum stilus impleat actum.  
 12 Heu domus infelix exhaustaque funebre crebro !  
 13 Heu germana fides, praedulcia pectora fratrum,  
 14 heu miserande parens desertaque turba sororum,  
 15 unde tot accipies gemitus, quis sufficit humor  
 16 cladibus assiduis, quae par querimonia damnis ?  
 17 Bellica marmoreae domus imperiosa Columnae,  
 18 nec caeli concussa minis, nec fulmine torvi  
 19 victa Jovis quondam, nec turbine fessa bilustri,  
 20 Urbis honos summumque decus belloque domique  
 21 perfugiumque bonis fueras, terrorque superbis,  
 22 nunc in frustra ruis ; tacitis juvenilia tristes  
 23 mortibus et rapido natorum stamina fuso  
 24 praecipitant Parcae. Virtus haec nota per orbem  
 25 hunc ve tot egregii finem meruere labores ?  
 26 Talia funereis iterans suspiria verbis  
 27 fundebam, lacrimisque genae pectusque madebant.  
 28 Ecce autem caeli vox e regione serena,  
 29 incertum quibus acta viis, sic impulit aures :  
 30 "Ecce quid adversus superos et sidera frustra  
 31 insanire juvat ? Juvenes mors aequa senesque  
 32 demetit et nullus mortalia temperat ordo,  
 33 aeternis, vesane paras vim legibus. An tu  
 34 hactenus indomitae nescis ut ferea Parcae  
 35 arbitrio nent pensa suo scinduntque trahuntque,  
 36 nec modus aut requies ? Miles, cui gloria cordi est,  
 37 fida sub extremo non deserit arma periclo.  
 38 Nauta gubernaculum stringit rapiante procella  
 39 intrepidusque videt sparsos super aequora remos,  
 40 et prius hunc pelagi quam terreat, opprimet unda.  
 41 Sunt qui conspecto tergum dent turpiter hosti,  
 42 sunt quos surgentis murmur leve subruat austri  
 43 et nova tempestas et sibila prima rudentum.  
 44 Hi propius discrimen habent ; ignava paventem.  
 45 Mors fortem generosa manet. Tu pauca tremiscis  
 46 spicula fortunae vitaeque in fluctibus alnum  
 47 deseris exiguo pavefactus turbine ponti ?  
 48 Et gemitum facis arma, miser ? Quid profuit ergo  
 49 lectio, quid studium ? Nunquam tranquilla magistrum  
 50 unda probat, nec militiae pax lenta peritum.  
 51 In dubiis, ars certa patet, turpissimus error  
 52 ille hominum : peritura velut mansura tenetis.  
 53 Hinc dolor amissis inconsolabis imo  
 54 corda oritur laceratque animum ; stat gratia nulla  
 55 praeteriti, subeunt cunctorum obliviae rerum  
 56 illicet et magna est injuria finis habendi

57 quod satis est habuisse semel. Condiscite eodem  
58 reddere depositum cupidi quo sumere vultu.  
59 Et quoniam non certe dies, estote parati.  
60 Semper ad imperium dominae sua jura petentis.  
61 Intransi monstrata via est, hoc tristia calle  
62 multa quidem invenies, hoc dulcia pauca videbis  
63 incertus placida laturus fronte viator.  
64 Quicquid erit, quod fata parent, haec verba parentem  
65 nascenti dixisse puta. Natura profecto  
66 omnibus haec loquitur : " Quicquid dulcescit amaro  
67 fine perit, fugit omne bonum quo vestra furit mens,  
68 proque brevi longus sequitur dulcedine meror.  
69 Paupertas concludit opes, natosque senectus  
70 orba gemit, fidos mors dividit invida fratres,  
71 nec minus unanimes subito disjungit amicos.  
72 Dum latus illa placens acies cingebat utrumque,  
73 fortunate diu, dum mutua verba benignis  
74 frontibus hinc illinc et pura mente sonabant,  
75 nonne tibi interdum proprie fuit obvia sortis  
76 condicio et tecum comitatus ut iste supremo  
77 mox gemitu solvendus erit ? Cui proxima, quaeso,  
78 cui brevis haec promissa dies ? Quem vespera pallens  
79 spirantem, praesens quem tandem protinus hora  
80 integra et insidiis mortis caritura videbit ?  
81 Sumite laetitiam semper fugientis amici,  
82 et fratres nati que alio spectentur ituri.  
83 Dumque licet celerate frui, neu perditte tempus  
84 quod volat et rapitur, vobis praesentia sordent,  
85 amissas lugetis opes et sors sua nulli  
86 ante placet, quam subtrahitur ; mors vestra repente  
87 judicia alternat ; quem fastiditis, ab urna  
88 suspicitis, quia nulla regit constantia mentes  
89 haud unquam praesente satis gaudetis amico.  
90 Perstrepit assidue maestis ululatibus aer,  
91 ante oculos vestros tremulo tot pallida cantu  
92 funera praetereunt nec dissimulare potestis.  
93 Nanque hoc prima dies, qua lucis limina nudi  
94 cum gemitu intrastis, si mens hinc firma fuisset  
95 venturique capax, monuit, primamque sequentes  
96 haud dubiam fecere fidem ; sed vaste voluptas  
97 alligat et vitae numquam satianda cupido :  
98 atque ideo in finem heretis lacrimasque pudendas  
99 spargitis amplexi medicorum colla manusque,  
100 quodque diu fecistis iter complere timetis.  
101 Ut vestros, sic alterius muliebriter autem  
102 fletis ad eventus, quia nulla exempla profundis  
103 insedere locis, animum spes blanda fefellit,  
104 nescio quid segnes agitis, dum tempora currunt,  
105 nec veterum meministis enim et praesentia lenti  
106 spernitis et numquam venientia cernitis ante,  
107 usque sub extremum pueri. Sed publice mitto.  
108 Quid quereris ? Calcata via est : aut vertere retro  
109 si licet, atque hominis (sed non licet) exue formam  
110 aut bonus aequanimi fer quaelibet obvia fronte  
111 quisquis ita longum ingreditur feret aspera multa :  
112 nunc caenum, nunc pulvis erit, nunc ventus et unda  
113 nunc calor immodicus, glacies nunc horrida nixque,  
114 nunc limosa palus, montis nunc saxa prealti.

115 Omnia sunt patienda viro, quia vita laborum  
 116 haec patria est, fessove quies manet ultima busto.  
 117 Quocumque in toto tua lumina flexeris orbe,  
 118 aspicias parium vestigia crebra malorum  
 119 tu gemis in propriis, potius communia defle  
 120 et totum mortale genus. Neu multa graveris,  
 121 vilia neu spernas. Paucis generosa sequamur.  
 122 Nunc redit in mentem, quas gens Cornelia summis  
 123 clara viris, quas Aemilii sensere ruinas,  
 124 ut geminos fratres post tot modo prospera bella,  
 125 hunc ferro, hunc facibus mors circumvenit, ut alium  
 126 Scipiadem exilio rapuit, sed fraude nepotem  
 127 conjugis infidae ; finxit quae crimina Remo,  
 128 moenia cognato jam tum sparsura cruore,  
 129 abdidit ut rapidi corpusque animamque Quirini,  
 130 utque ferum subito percussit fulmine Tullum,  
 131 ut brutum sontemque simul collisit Aruntem,  
 132 obtulit ut Decios gladiis hostilibus ultro,  
 133 Chereamque Sabinum suo rigidumque Catonem  
 134 Marcellumque dolis, Regulum vigilando peremit ;  
 135 eripuitque animam mixtam cum sanguine Syllae,  
 136 discerpsit Marium ferro, Baebiumque cruentis  
 137 unguibus, Antonii mensas cervice nefandas,  
 138 foedavit trunci Ciceronis sanguine rostra,  
 139 extinguens Italae duo maxima lumina linguae,  
 140 transfixit Crassum medicatis mille sagittis  
 141 et serum optato implevit rutilante metallo ;  
 142 calce sub ardenti Catulum, tellure profunda  
 143 Curtium Albinum lapidoso immersit acervo,  
 144 sparsit Pompeios, Fabios contraxit in unum  
 145 insidiosa locum ; quo fulmine contigit aras  
 146 Caesareas stravitque domum quae straverat omnes.  
 147 Ac ne sola putes exempla domestica mortis,  
 148 haec eadem reges solio furiosa superbo  
 149 depulit, haec populos momento temporis hausit,  
 150 Ilion haec ingens, haec ipsa fidele Saguntum  
 151 funditus atque tuas, Numantia, diruit arces,  
 152 et te, Byrsa potens, et te, speciosa Corinthus.  
 153 Haec te inhumano demersit sanguine Cyrum,  
 154 in flammis Alcibiadem, Xantippen in undis,  
 155 Pyrrum feminei contrivit pondere saxi,  
 156 carcere Miltiadem et longo squalora peredit  
 157 Hannibalem Pontique ducem Macedumque veneno  
 158 vicit Alexandrum, Socrati nec cruda pepercit,  
 159 Euripidem canibus lacerandum praebuit illa ;  
 160 Eschylon ex alto missae testudinis ictu ;  
 161 illa animi maerore sacrum confecit Homerum,  
 162 contra laetitia Sophoclem consumpsit inani.  
 163 Si modo suspicio est de tantis digna poetas,  
 164 Pindaricam somno, risu Philemonis inepto  
 165 expulit hinc animam fragili statione sedentem.  
 166 Nomina deficient : laqueis hunc nexuit atris,  
 167 hunc cruce suffixit, hunc liquit in axe rotarum,  
 168 obruit hunc nivis immodica sub mole rigentum,  
 169 hunc rupis tectique gravi sub strage vetusti.  
 170 Illum praecipitem scopulo dejecit ab alto,  
 171 hunc herbae tactu, fungique hunc abstulit esu,  
 172 hunc capite alliso et sparso violenta cerebro,

173 hunc animae solitos praecludens ore meatus,  
174 hunc quoque vermiculi facili sine sanguine morsu,  
175 hunc avium rostris cupidis, hunc piscibus escam  
176 misit et hunc saevo laniavit dente ferarum,  
177 hunc aestu tristisque fame duroque labore,  
178 hunc requie nimioque cibo distendit, anhela  
179 hunc Venere exhaustum foedo liquefecit in actu,  
180 hunc senio carieque diu lassavit inertii,  
181 febribus hunc rapidis morboque subegit acuto,  
182 sed quid ego mortes hominum vel regna vel urbes  
183 persequor et lato prostratas turbina gentes,  
184 cum mundi peritura suo sit tempore moles ?  
185 Terra simul pelagusque ruent caelumque chaosque :  
186 singula flere vacat ? Solacia magna perire  
187 cum toto periterque rapi. Properare videntes  
188 omnia ad occasum, corpuscula vestra putatis  
189 Hic stabiles habitura domos ? Si jura revolvat  
190 mortis et imperium quod dura exercet in omnes,  
191 aequius hanc patiare tuam tetigisse Columnam :  
192 quae si perpetua firmam se mole teneret,  
193 invidiosa nimis poterat fortasse videri.  
194 Creverat usque adeo, Deus hanc moderatur ab alto,  
195 et latera extenuat, sed enim solidissima perstant  
196 fundamenta solo et rutilans micat aethere vertex.  
197 Quid mirum, si celsa petunt ex more procellae,  
198 ventus agit nimbos, ferit alta cacumina fulmen ?  
199 Ima silent habitatque quies in valle repostata,  
200 mitior haud parvis tamen est mors, notius alta  
201 verberat et longe spectantia lumina turbat.  
202 Tu sibi da veniam, si post caelestia terris,  
203 postque Deum stat dura homini flectique recusat.  
204 Quanquam o si tandem incipiat sine nubibus alma  
205 Lux caligantes oculos vel sera ferire !  
206 Morte nihil melius, vita nil pejus iniqua.  
207 Optima mors, hominum requies aeterna bonorum,  
208 tu servile jugum, domino nolente, relaxas,  
209 victorumque graves adimis cervice catenas,  
210 exiliumque levas et carceris ostia frangis.  
211 Eripis indignis, justis bona partibus aequas.  
212 Nil agis imperio, prece nil pretiove minisve  
213 atque immota manes, nulla exorabilis arte.  
214 A primo prefixa die, tu cuncta quieto  
215 ferre jubes animo, promisso fine laborum  
216 te sine supplicium vita est carcerque perennis,  
217 sic meritam ingratae lacerant sine fine querelae ;  
218 vel miseris invisae venis, factura beatos".  
219 Auribus haec audita meis lenire dolorem  
220 vox aliquantisper visa est : tum lumina tollens  
221 virgineos audire choros et cernere coepi.  
222 Nomina nota novem, vultusque et verba notanti  
223 visa loquens Erato : reverenter in ora puellae  
224 versus, ut hos monitus, illa dictante, liceret  
225 membranis mandare precor : " Nil egimus, inquit,  
226 Calliope nisi nostra sonet cantuque decoret  
227 inventum de more meum. Tum blanda sororem  
228 arripuit dextra, post haec concorditer ambae  
229 exactum carmenque sequens cecinere morasque  
230 inter verba breves calamo cunctante dedere.

231 Dumque canunt scripsi, sed quae communia nobis  
 232 hactenus audisti, nunc, quod te respicit, audi.  
 233 In primis vitanda tibi est spectantis ab astris  
 234 ira Dei, ne forte suum damnare puteris  
 235 iudicium, cui vita hominum morsque optima curae est.  
 236 Te quoque, quicquid ages, Romani proxima cernent  
 237 lumina pontificis, cujus, mihi crede, caveto  
 238 vultus nube tui frontem turbare serenam.  
 239 Nulli major inest clementia, nomen ab ipsis  
 240 dignum rebus habet ; qualem tibi viderit, oris  
 241 induet ipse habitum ; teque illacrimante tenere  
 242 non poterit lacrimas : igitur moderare dolorem,  
 243 humentes absterge oculos, mitissimus ille  
 244 nequa tui sentire queat vestigia luctus,  
 245 consilio illius (quis enim consultior alter ? )  
 246 Affectus committe tuos et verba tenaci  
 247 corde loca, monitusque sacros ; namque ille docebit  
 248 ut miser hic, quem jure regit, cui praesidet, orbis  
 249 est gemitus mortisque domus, nec mortis ad ictum  
 250 flere virum deceat, memorem quo pergit et unde.  
 251 Quin et grandaevum forti pietate parentem,  
 252 surgentemque nova carum probitate nepotem  
 253 concussamque domum et maestos solabere fratres.  
 254 Unus es exemplum multis, quos vulnere tristi  
 255 ter pupugit fortuna nocens : tria damna tuorum,  
 256 ter sparsi cineres atque ossa tepentibus urnis,  
 257 alter et alterius vestigia nuntius urgens  
 258 pestifer ; ex nutu pendebunt omnia vultus  
 259 ista tui ; si flere vetas, non flebitur usquam ;  
 260 si fles, cunctorum laxabis frena dolori,  
 261 extorquenda etiam mala gaudia fortiter hosti,  
 262 invidia calcanda lues, te sospite nondum  
 263 sentiat indomitam mundus cecidisse Columnam.  
 264 Adde quod in toto late jam nosceris orbe,  
 265 nec genus egregium, nec te tua clara latere  
 266 Vita sinit mundusque tuo qui cardine pendet  
 267 et quae non alio jam Roma superbit alumno.  
 268 Nunc mores animumque notant, status altior omnes  
 269 in te nempe oculos atque ora loquacia vertit.  
 270 Multorum dominus, multorum servus, iniquo  
 271 subditus imperio linguae popularis, in altum,  
 272 dum tonat, assurge et nomen servare labora.  
 273 Magnus enim labor est, magnae custodia famae ;  
 274 Ergo tuae fratrumque simul succurre saluti  
 275 ingressosque viam vitae caelumque petentes  
 276 ne gemitu impediās ; nam si mala plurima circum  
 277 et dubios casus inter quos degimus omnes  
 278 mortales quocumque gradu fortuna locarit,  
 279 si tumidos fluctus varioque agitata tumultu  
 280 aequora pervideas, fortasse fatebere portum  
 281 in sola jam morte situm. Vel fratribus ergo  
 282 invidus es, tuta tandem statione receptis,  
 283 vel tua damna gemis : primum pietate, secundum  
 284 ingentis virtute animi et ratione veteris.  
 285 Restat ut arescant lacrimae neu flebilis ordo  
 286 Fatorum occurrat, quoniam prius ultima dona  
 287 Mors rapuit, tulit ille suum : nascentibus una est  
 288 condicio, non una dies adjecta tributi.

289 Computat haec annos, celeres nec praeterit horas,  
 290 non differt, non anticipat, stat terminus aevi,  
 291 quem fixit natura parens, hic ultimus, ille  
 292 Primus obit, sed uterque suum tenet ordine tempus.  
 293 Nec tamen a puero multum distare senectus  
 294 sera potest spatioque brevi distinguitur aetas  
 295 quantalibet. Juvenes abierunt, scilicet illis  
 296 expediebat enim, fors tibi. Nescia rerum  
 297 Mens hominis semperque metu suspensa futuri  
 298 quid juvet aut noceat caligine cernit opaca.  
 299 Quid modo sollicito multum sermone fatiger,  
 300 ut similes casus referam tibi, vel quid acerbo  
 301 commemorem fratres divulsos funere ? Pauci  
 302 ad senium venere simul : memor ergo decori,  
 303 Parce, precor, lacrimis, oculosque animumque serena.  
 304 Stultum flere diu breve et irreparabile damnum :  
 305 irreditura cupis, nil possunt verba precesque,  
 306 nil surdis ingesta juvant convicia fatis.  
 307 Interea trepidi dum circumvolvimur, ecce  
 308 finis erit flendi, desideriumve quiescet  
 309 quo modo torquemur ? Volucris namque ocior aura  
 310 fausta dies properat, qua commigrare coacti,  
 311 praemissos fratres et pignora cara sequemur.

AD RAYNALDUM DE LIBERO PAGO VERONENSEM POETAM S.

P2\_15 v.1 Nuper ab aetherei, qui temperat astra, tonantis  
 2 missus habente vices, dulcem claramque revisi  
 3 Parthenopen celerante gradu, res inde trahebat  
 4 ardua nec dubii fortuna incerta laboris.  
 5 Hinc reditus urgebat amor. Vix limine noto  
 6 constiteram, tepuere animi, fractusque videndi  
 7 impetus, erepto caelum spectare videbar  
 8 Sole gemens : Sicalae modo sol pulcherrimus aulae  
 9 exciderat solio, quo cum lux clausa sepulcro  
 10 et sine quo viduo nox est quasi publica regno.  
 11 Nobilium lacrimae, populi miseranda dolentis  
 12 murmura, et effigies lacerae maestissima terrae,  
 13 singula torquebant, quod adhuc stant moenia, verum  
 14 non ea Neapolis, quam, quartus volvitur annus,  
 15 Ausonias inter florentem vidimus urbes :  
 16 trunca caput, spoliata latus, belloque valentes  
 17 exarmata manus ; quot subruit hora paratus !  
 18 Quid valet unus homo, quid mors vehit una malorum !  
 19 His ego concussus, singultibus omnia crebris  
 20 ut mihi conspicuae patuerunt conjugis aures,  
 21 interrupta loquens, breviter commissa peregi.  
 22 Questa parum magni mecum de morte mariti,  
 23 cetera consilio procerum dum credita differt,  
 24 expectare jubet ; sed, ne mihi tempus inane  
 25 difflueret segnisque sopor consumeret horas,  
 26 dum libros mens lassa fugit calamumque recusat,  
 27 per loca nobilibus multum celebrata poetis  
 28 ire vagus statuo ; comitum chorus omnia circum  
 29 norat, et ardebat studio mihi quisque placendi.  
 30 Proxima fatiloquae domus est habitata Sibyllae,



31 sulphureoque gravis moles impendet Averno  
32 fessa aevo, metuenda situ. Centum ostia vocum  
33 vatis Apollineae, partim sub strage ruinae  
34 sparsa jacent, partim solido se limine servant.  
35 Muta tamen, siluere dei, siluitque sacerdos,  
36 unus enim caelo et terrae Deus omnia fatur.  
37 Tecta colunt volucres variae, lacus ipse nigranti  
38 fervet aqua, cernas piceo sub gurgite fuscus  
39 ludere pisciculos, vicinaque Tartara signat  
40 tristis odor, faciesque loci. Mons pervius imos  
41 inde petit manes et nomine barbarus et re,  
42 si comperta ferunt. Ego nam procul atria Ditis  
43 contentus vidisse fui, irremeabile limen.  
44 Praeter enim quod fama vetus, quod carmina terrent,  
45 huc rudis agricola timet, huc accedere pastor,  
46 nauta nec aequorea sitiens telluris ab unda  
47 hoc audet calcare solum. Vicinia narrat  
48 nescio quos, auri stimulante cupidine, nuper  
49 (quod curvis sine fine putant latitare cavernis),  
50 irreducem temptasse aditum votoque potitos  
51 forsitan atque atra tentos dulcedine vallis,  
52 erratis seu forte viis, seu compede mortis,  
53 infernum coluisse larem civesque manere  
54 Tartareos. Sed visa sequor. Stant ordine colles  
55 undique contiguo fontesque tepentibus undis  
56 antra rigant rorantque salubri aspergine campi.  
57 Circumfusa quatit Tyrrhenus litora pontus,  
58 qui, quotiens tumuit, salso tenet omnia fluctu,  
59 rura lacumque simul ; revomit quas sorbuit ultro  
60 Germano Neptunus aquas. Pars altera montis  
61 despiciens Acheronta videt, pedibusque sub ipsis  
62 ipse ego supremo de vertice tristia vidi  
63 stagna, nec horrifici deerat nisi cymba Charonis,  
64 ut verum legisse rear : nam cetera prorsus  
65 conveniunt. Styx alta latet, rexque impius Orci,  
66 portitor annoso fessus temone quiescit  
67 interiore loco ; siquidem jam novimus omnes  
68 illud iter transire vado, nec flectere contum  
69 est opus, aut tenui suspendere carbasa malo.  
70 Id sibi quisque pedes. Sed ne sermone fatigem  
71 lumina cara mihi, quicquid spectare licebat  
72 aspexi, vixque ulla dies transiverat aevo  
73 laetior aut tam laeta meo vix ulla redibit,  
74 tam niveo signanda mihi et memoranda lapillo.  
75 Nam praeter quae multa libens avidusque notavi,  
76 paucaque jam vacuae mediocria nomina Cirrhae,  
77 hoc primum mihi blanda die contraxerat una  
78 illustres fortuna duos, par nobile vatum,  
79 quo dextrum laevumque latus vallante, Maronis  
80 egregios hac aure sonos, hac nempe videbar  
81 Maeonios captare modos. Jam nomina quaeris  
82 et genus et patriam : Barilidos ille Johannes,  
83 quem primum Capuana virum tulit inclita gestis,  
84 Pieridum armatus Latio jam solus amicus,  
85 solus honor patriae, postquam mors invida regem  
86 abstulit hinc Siculum caeloque invexit egenti :  
87 hic autem Barbatus erat, cui pectus et ora  
88 nectare Castalio redolent, laurumque meretur,

89 sed decus emeritum voto trahit ille modesto.  
90 Musarum tamen interea gratissimus hospes  
91 atque meus, quotiens Capuam Terrasque Laboris  
92 imperiosa jubet mea me fortuna videre.  
93 Sulmo sibi patria est, atque is, mihi crede, Pelignis  
94 Naso secundus adest. Igitur sic multa serentes  
95 tres vario sermone diem transegimus unum.  
96 At minime mirum, si dum Phoebæ loquendo  
97 templa subimus, ades, quartumque loquentibus offers.  
98 Blanditiis precibusque meum convellere pectus  
99 tentarant multisque viis, ut sistere tandem  
100 errores vellem ipse meos secumque manerem,  
101 sed quoniam instabilis proprio circumferor astro  
102 et requiem mihi fata negant, tu posceris unus.  
103 Forte tuum, meministi, meritis super aethera nomen  
104 laudibus extuleram : stupet percussus uterque  
105 vate novo nomenque jubent iterare ; quid ultra ?  
106 Ut sibi te socium tribuam, per dulce vetustae  
107 nomen amicitiae perque omnia cara requirunt  
108 pollicitique : summus honos et praemia larga  
109 te maneant, tenuisque labor ; nec cura perennis,  
110 paupertas nec dura senem, nec vox puerorum  
111 garrula sollicitate frangent nec taedia vitae.  
112 Otia laeta trahes illis comitantibus, ac te  
113 restituisse tibi saltem sub fine licebit.  
114 Sunt quorum promissa fidem mereantur opimam :  
115 Magna volunt, majora valent et nomine tecum  
116 conveniunt studioque pari ; qui pectora nexus  
117 alligat ignotosque procul connectit amicos.  
118 Aude, age ; nam si fama juvat, tibi clarior illa  
119 est nusquam, si grata quies tranquillior orbe  
120 nulla patet nostro, si libertatis amore  
121 tangeris aut census, illic tua sera reservant  
122 Fata tibi quodcumque cupis. Non ardua busti  
123 cura animum si forte movet, cui gratius ore  
124 membra dabis quam quae vatis tegit ossa supremi,  
125 concivisque tui ? Solamen dulce, quod ingens  
126 haec juga Virgilius, Plinius tenet illa secundus :  
127 tu medius jacuisse times ? Hoc Mantua colle,  
128 hoc Verona sedet : patria est. Non hortor Hiberum,  
129 non Indum visurus eas peregrinus Hydaspem,  
130 Italico (ne temne) solo caeloque frueris,  
131 Italicas potabis aquas ; non astrifer Atlas  
132 aethereo nec calle tumens superandus Olympus,  
133 non Erymanthæae Nemeaeque pericula silvae,  
134 Lernaean nec monstra tibi tentanda paludis,  
135 nec mare Carpathium nec litora Syrtis inique,  
136 sed Padus aestivis solito nunc mitior undis,  
137 frondifer inde jugis sacer Apenninus apricis  
138 transvehet et campo incolumem te reddet Etrusco  
139 sexta dies, postquam patrio discesseris arvo.  
140 Hinc humiles colles et amoenas collibus urbes  
141 transiliens, Romam spatio vix quinque dierum  
142 intrabis, Tybrimque inhians et sancta videbis  
143 limina, quae tali ingenio vidisse docebat  
144 jam pridem, mundique caput spectasse propinquum.  
145 Inde brevis tractus campana per arva diebus  
146 quatuor optatum exspectantibus addet amicis.

147 Heu propera, victure tibi et moriture, meoque  
 148 utere consilio, versus relegens alienos.  
 149 Namque fatebor enim : dum te Galathea tenebit,  
 150 nec spes libertatis erit, nec cura peculi.

BARBATO SULMONENSI S.

P2\_16 v.1 Dulcis amice, vale. Tua si mihi semper imago  
 2 it praesens mecumque sedet mecumque quiescit,  
 3 redde vices : non atra palus Acherontis opaci,  
 4 turbida somnifero dirimat nec gurgite Lethe  
 5 Omnipotens quos junxit amor. Nunc corpore paulum  
 6 distrahimur, sic fata jubent, sic velle necesse est.  
 7 Tu Capuam tergo Capreasque a pectore semper,  
 8 Puteolos dextra et Phrygii tibicinis ossa,  
 9 at laeva Silerimque procul bifidumque Vesevum  
 10 aspicias, aequoreo resonantia littora fluctu,  
 11 moeniaque ampla tenens, quibus est a virgine nomen,  
 12 urbibus atque ubi jam fuerat gens una duabus,  
 13 nunc gentes una urbe duae, populusque biformis.  
 14 Hic sine me remanes, immo mecum omnibus horis  
 15 omnibus atque locis : sed enim me dextera regis  
 16 ripa Padi, laevumque patris latus Apennini  
 17 arvaque pontifrago circum contermina parmae  
 18 nunc reducem exspectant Planaeque umbracula Silvae.  
 19 namque ibi Pierius gelidum me contigit ardor,  
 20 "Africa" nostra mihi longum intermissa jacebat.  
 21 Excivit locus ingenium, lapsumque repente  
 22 restituit calamum, memini ; me nulla profecto  
 23 ingratum factura dies. Stat colle virenti  
 24 silva ingens, Planeque tenet, licet ardua, nomen.  
 25 Hic solem procul aerias avertere fagos  
 26 ac teneras variare solum concorditer herbas  
 27 mensibus aestivis videas, hic bracchia Cancri  
 28 temperat unda recens atque ora jubamque Leonis  
 29 dulces vicinis feriunt ex montibus aerae.  
 30 Impendent juga celsa super caelumque lacessunt,  
 31 Gallia sub pedibus jacet Itala tota sedenti :  
 32 contra autem Hesperiae cernuntur terminus Alpes.  
 33 Mille nemus volucrum species ac mille ferarum  
 34 circumeunt habitantque sacrum, gelidusque per umbram  
 35 fons ruit : irriguo pubescunt gramina flexu.  
 36 Floreus in medio torus est, quem caespate nullo  
 37 erexit manus artificis, sed amica poetis  
 38 ipsa suis natura locum meditata creavit.  
 39 Hic avium cantus fontis cum murmure blandos  
 40 conciliant somnos : gratum parat herba cubile,  
 41 fronde tegunt rami, mons flamina submovet Austri.  
 42 Horridus hunc metuit pedibus violare subulcus,  
 43 Rusticus hunc rastris, digitoque hunc signat et alto  
 44 silvarum trepidus veneratur ab aggere custos :  
 45 intus odor mirus statioque simillima campis  
 46 Elysiis profugisque domus placidissima Musis.  
 47 Deferor huc solus furtim sociosque fefelli  
 48 tunc, cum prima mihi quae strinxit tempora laurus  
 49 aruerat nondum ; flexum vix Cynthia callem,

50 postquam Roma novum tulit ad Capitolia vatem,  
 51 transierat, pompaque tumens fortasse recenti  
 52 nescio quid tacita insolitum sub mente movebam.  
 53 Obstupui rediitque vagae vetus Africa menti :  
 54 cetera reiciens, operi mea dextra relicto  
 55 redditur : inde loco locus hic mihi carior omni.  
 56 Hunc revidere velim coepti mihi conscius alti  
 57 extremamque manum longo imposuisse labori,  
 58 quem traxit fortuna diu. Si dextra favebunt  
 59 sidera, tum tandem incipiet secura vagari  
 60 Africa per Latium studio redimita supremo  
 61 Scipiadesque meus. Quod si vivacior annos  
 62 Parca trahit, quid mens agitet fortasse requires.  
 63 Hoc unum tibi subtrahimus, sed amare laborem  
 64 propositum et segnes a limine pellere somnos.

## AD ZOILUM S.

P2\_17 v.1 Si tua per longam saltem semel, invide, vitam  
 2 limina virgineis essent calcata choreis,  
 3 Cirrhaeas si quando dapes fontisque sonori  
 4 pocula gustasses, poterant mea carmina limam  
 5 aequo animo tolerare tuam. Nunc, censor inepte,  
 6 quid tibi cum Musis ? Quid mecum ? Claudicet omnis  
 7 Versus enim quanquam, te iudice, tutus abibo :  
 8 aethera conscendam, numquam tibi, caece, videbor.  
 9 Quid tibi cum Musis ? Quid mecum ? Sidera nostros  
 10 spectarunt ortus toto distantia caelo.  
 11 Dat Saturnus opes amplas tibi, pectus avarum,  
 12 ac tardum ingenium gelidumque et molle cerebrum.  
 13 Quid tibi cum Musis ? Quid mecum ? Census honestus  
 14 contentusque animus modicis et nulla cupido.  
 15 Est mihi Musarum studium, mens semper in actu,  
 16 has melior largitur opes Cyllenius ardens.  
 17 Quid tibi cum Musis ? Quid mecum ? Publica fama est  
 18 edictis te Vergilium comitesque pudendis  
 19 exclusisse domo, metuunt ea nomina servi ;  
 20 quosque, ais, urbe Plato pepulit, nos pellimus aula.  
 21 Quid tibi cum Musis ? Quid mecum ? Pellere porro  
 22 non opus : abfuerant semper limenque superbum  
 23 horruerant ; frustra precibus (mihi crede) vocares  
 24 tendentes alio melioraque claustra sequentes.  
 25 Quid tibi cum Musis ? Quid mecum ? Parce poe-  
 26 tae, exulibus jam parce tuis, sacrisque profanum  
 27 Pieriis averte caput linguamque coerce,  
 28 ignotis ne caeca viis calcaribus acta  
 29 corruat invidiae. Si fercula pingua ventri  
 30 dulce merum mollisque torus contingat inertii,  
 31 si tibi turgentibus auro Ramnusia fiscos  
 32 aggeret, argenti montes superaddat et aeris,  
 33 India si talamos crustis circumdet eburnis  
 34 et premat Oceanus spoliis te nobilis algae,  
 35 imbellesque manus illustret iaspide crebra,  
 36 nulla tuos hedere constringant brachia trunco,  
 37 non segetem myrtus, non Delphica laurus obumbret.  
 38 At ficus oleasque tibi vinetaque tellus

39 sufficiat largoque fluat vindemia Baccho.  
 40 Vinitor ipse nihil fessus, nil poscat arator :  
 41 sic cumulent omnes tua gaudia ; nullus egenti  
 42 sit locus atque fores inopi claudantur amico.  
 43 Solus hians felixque tibi nullisque gravatus  
 44 hospitibus, numeres gazas obsessus ab illis,  
 45 semper crescentis sitiens speculator acervi.  
 46 Pone modum verbis, crassae te redde quieti,  
 47 vel nostros damnare ferox jam desine versus,  
 48 vel dictum ratione proba. Si displicet auctor,  
 49 illa placebit enim. Sed quid rationis ad hostem  
 50 de ratione loquor ? Quin desine, censor inepte,  
 51 et duo sub memori proverbia pectore versa :  
 52 artem quisque suam doceat : sus nulla Minervam.

AD GULIELMUM ORATOREM VERONENSEM S.

P2\_18 v.1 Si quid agam quaeris, quod gens humana : laboro.  
 2 Quid mediter ? Requiem. Quae spes mihi ? Nulla quietis.  
 3 Qua vager ? Hac illac. Quo pergam ? Tramite recto  
 4 ad mortem festinus eo. Qua mente ? Profecto  
 5 intrepida promptaque gravi de carcere solvi.  
 6 Qui comites ? Mortale genus. Quae meta ? Sepulcrum.  
 7 Proxima quae ? Caelum, vel, si prohibemur, abyssus.  
 8 Hunc tamen, hunc, superi, casum prohibete precamur.  
 9 Nunc ubi sim ? " Parmae ". " Quae sit mea tota diaeta ?  
 10 Ortulus aut templum, nisi me nemus extrahat urbe.  
 11 Quis victus ? " Solitus, licet indulgentior ambas  
 12 det fortuna manus gremioque invitet aperto.  
 13 Quae frons ? " Clara minus. " Quae prima in pectore cura ?  
 14 "Africa". " Quod studium ? " Vehemens. " Quis fructus ? " Inanis  
 15 Gloria : nam solidam virtus vel sola meretur.  
 16 Cura secunda domus mihi par, quam marmore raro  
 17 (saepe tuos operi questus procul abfore montes  
 18 aut Athesim rectis non huc descendere ripis)  
 19 exorno coleremque magis, sed carmine Flacci  
 20 terreor ac busti admoneor cogorque supreme  
 21 interdum meminisse domus et parcere saxis  
 22 inque usus servare alios ; tunc impetus ille  
 23 et coepti lentescit amor, tunc tecta perosus  
 24 in silvis habitare velim. Tenuissima forte  
 25 effugiensque oculos emersit rimula muro ?  
 26 Hanc animadvertens, operum culpae magistros  
 27 aggredior, multisque rudem sermonibus artem.  
 28 Respondent non arte hominum consistere terram,  
 29 quam tantum curvaret onus, modo jacta parumper  
 30 fundamenta novis subsidere molibus, atqui  
 31 nil penitus firmum, nil immortale per aevum  
 32 mortales fecisse manus, ea moenia vitae  
 33 in longum satis esse meae vitaeque nepotum.  
 34 Dirigui. Mox ipse mihi : " Ni rusticus auctor  
 35 temnitur, hi verum memorant. Quin cassa caduci  
 36 fundamenta tui circumspice corporis amens :  
 37 eripe te in tutum nunc dum licet, omnia nec sint  
 38 te semper potiora tibi : domus ista manebit,  
 39 corruet hoc corpus, sedem vacuabis utramque ".

40 Talibus increpitus silui, pudor obstitit unus  
 41 desereret ne coepta metus ; nam machina pendens  
 42 praetereuntis erat digito monstranda popelli.  
 43 Ergo opus insistens celero, tamen omnia discors  
 44 Mens variat, nunc tecta placent angusta Catonis  
 45 quantus et ingenti Curio fuit ortulus olim,  
 46 quantus Epicuro, coeunt exempla, senexque  
 47 Virgilianus adest, quem se sub turribus altis  
 48 Oebaliae vidisse refert ; nunc aemula caelo  
 49 moenia Romulidum, tacturaque culmina nimbos  
 50 urbe Semiramia meditor, modus omnis agelli  
 51 sordet et immensis vaga mens anfractibus errat,  
 52 arvaque fluminibus distinguit, montibus amnes,  
 53 ruraque circumdat pelago, redit inde modesti  
 54 miratrix luxusque odio flammata superbi.  
 55 Jugiter ista mihi de me certamina surgunt,  
 56 hac me multivolum pectus sub nube volutat,  
 57 hos inter fluctus mens est, sed vulgus ineptum  
 58 absque gubernaclo majoribus errat in undis.  
 59 Id sibi solamen, proprias amat ipsa procellas,  
 60 naufragium populare videns, tandem omnia librans,  
 61 rideo me simul atque alios et quidquid in orbe est.

### LIBER III

#### AD IOHANNEM DE COLUMNA CARDINALEM S.

P3\_01 v.1 Est mihi cum nymphis bellum de finibus ingens  
 2 auditum fortasse tibi : mons horridus auras  
 3 excipit ac nimbos, et in aethera cornibus exit ;  
 4 ima tenent fontes, nympharum nobile regnum.  
 5 Sorgia surgit ibi, querulis placidissimus undis,  
 6 et gelida predulcis aqua ; spectabile monstrum  
 7 alveus ut virides vitreo tegit amne smaragdos.  
 8 Hic mihi saxosae rigidus telluris agellus  
 9 contigit : hinc lites, hinc semina prima duelli.  
 10 Namque ego, quod profugis sedes erat apta Camenis,  
 11 concives hic esse meas, mecumque tumultus,  
 12 insulsique dedi convicia temnere vulgi.  
 13 Contra ille : indignum facinus graviterque ferendum,  
 14 exulibus sua jura dari, novus advena toto  
 15 Orbe quod expulsas alienae intruderet arcu,  
 16 atque novem preferret anus quod mille puellis.  
 17 Jam mihi facta manu nitido brevis area fundo  
 18 stabat et advecto ridebat gramine pratum.  
 19 Nympharum interea rapidum de rupibus agmen  
 20 prosilit ac fragilis valido molimine coepti  
 21 fundamenta ruit : fugimus scopulumque propinquum  
 22 prendimus et saxo trepidi speculamur ab alto  
 23 praesidioque loci fruimur, nec tempore longo  
 24 congregimur, patulisque iterum nos credimus arvis ;  
 25 sic puduit fugisse semel. Transiverat orbem  
 26 Delius obliquum jamque altera venerat aestas :  
 27 humida Pierio passim insultare labori

28 agmina conspicio nostrisque habitare sub antris.  
 29 Quid facerem ? Indignor, sed quam fata gubernant  
 30 consilium curasque fide, quo vana retorquent  
 31 orsa hominum ? Dum multa paro, dum bella retento,  
 32 forte peregrinas longum vagus ire per oras  
 33 cogor et inceptum Clausa sub Valle relinquens,  
 34 attonitas comites post saecula multa reduxi  
 35 in Latium celsaeque super Capitolia Romae  
 36 Sextus ab his annus agitur. Quid multa ? Redimus  
 37 per mare jam totiens mensum totiensque remensum,  
 38 perque nimis notas Alpes. Rapit omnia mundo  
 39 Prorsus avara dies, et sensim labilis aetas :  
 40 dum rus nempe silens et opaca revisimus antra,  
 41 mira loci facies, operis vestigia nusquam,  
 42 omnia calcabant hostes sparsusque jacebat  
 43 agger et undivagis praestabat piscibus aulam.  
 44 Rursus in ambigui redeo discrimina belli,  
 45 et dabat arma dolor, vires cumulaverat ira :  
 46 conveniunt duri agricolae, pastoria nec non  
 47 exiguo conducta cohors, succinctus et alte  
 48 piscator madidus posito mihi militat hamo.  
 49 Volvimus ingentes scopulos ac viscera matris  
 50 carpimus omnigenae et squalentia vellimus ossa  
 51 paulatim et ferro montem tenuamus adunco.  
 52 Pellimus his tota nymphas regione subactas,  
 53 erigimusque sacris mansura palatia Musis  
 54 fluminis in ripa, praeterlabendo vicissim  
 55 hinc sua damna gement, hinc gaudia nostra videbunt,  
 56 nil aliud nisi forte minas et murmur inane.  
 57 Exitus hic tantorum operum, neve omnia nobis  
 58 attribuam, manifesta Canis, manifesta Leonis  
 59 sensimus auxilia, Phoebi peperere favorem.  
 60 Ille pelam nostris movit pro partibus arma  
 61 atque arcum pharetramque levem aestiferasque sagittas,  
 62 pugnavitque die medio, juvitque superne  
 63 per noctem obsequiosa soror velut aemula fratris,  
 64 addidit ac luci spatium tenebrasque repressit.  
 65 Sentio propositum tamen hinc fraudemque latentem :  
 66 dum glaciem nimbo ferant ventosque nivesque  
 67 sidera et undantem dum verset Aquarius urnam  
 68 exspectant, tunc incauto mihi multa minantur,  
 69 tum specus hoc vastum rapido vomet ore fluentum,  
 70 gurgitibus miris properans succurrere victis.  
 71 Omnia sunt provisa mihi ; jam parte revulsa  
 72 rupis et aggestis vicino e litore saxis  
 73 Hibernum praestruxit iter mea lecta juvenus.  
 74 Nec nos aut fracto veniens Padus aggere multum  
 75 terreat aut rupti contemptor pontis Araxes.  
 76 Jam victor, jam pace fruens, tutusque futuri  
 77 pannosas comites vix serum in flumine puro  
 78 exposui, lavique vadis : hic saepe precanti  
 79 antiquos renovare modos, contingere lauros,  
 80 nectere certa manu, sacras spectare choreas  
 81 permissum, sileat quamquam indignatus Apollo  
 82 Cirrha muta jugo jam pridem subsit hiberno.  
 83 His ego non plausum ventosaeque festa theatri,  
 84 nec murmur turbae varium, sed rara bonorum  
 85 pectora pollicitus, maerentia corda levavi

86 hospitio mensaque fovens castoque cubili.  
 87 Jamque Helicon collisque biceps, jamque ungue caballi  
 88 fons oriens, vatunque virens jam silva videri  
 89 incipit et miseris melior fortuna reverti.  
 90 Haec age visurus propera, per siqua quietis  
 91 cura tibi, cernes bellis haec otia quantum  
 92 urbanis praeferre velis, neu dura timeto  
 93 fercula et horridulis inculta cubilia culmis  
 94 Regibus alternare vices gratissima res est,  
 95 fastiditur idem semper, variata voluptas  
 96 blandior est aliumque refert dilata saporem.  
 97 Adde quod et lautas epulas et vina Rubenti  
 98 Monte vel ardenti dudum transvecta Vesevo,  
 99 Argentumque nitens, gregis ac pretiosa Britanni  
 100 vellera, adorato demersas murice vestes  
 101 ferre brevi potes ipse via. Da cetera nobis :  
 102 herba torum, ramis tectum viridantibus arbor,  
 103 at citharam Philomena feret, quam nulla libido  
 104 flexit adhuc, tremulo permulcens gutture silvas,  
 105 innuba virgineo canit, et non sibilat anno.  
 106 Nos tibi multiloquos, si fert ea cura, libellos,  
 107 Musarumque choros, domitisque insistere nymphis,  
 108 nos tibi pampineos colles gravidosque racemos,  
 109 denique mellifluas ficus undamque recentem  
 110 gurgite de medio offerimus, cantusque volucrum  
 111 innumeros montisque sinus curvosque recessus  
 112 et nemorum gelidas udis in vallibus umbras.

AD RAINALDUM DE LIBERO PAGO VERONENSEM POETAM

P3\_02 v.1 Est puer hic nobis laetis demissus ab astris,  
 2 atque Mosae ad ripam genitus tenerisque sub annis  
 3 altus aquis Sequanae ; Rhodani nunc hospes ad undam.  
 4 Acceptus Muis, digito doctissimus omnes  
 5 organicos miscere modos curasque nocentes  
 6 pellere pectoribus, silvasque impellere cantu,  
 7 sistere praecipites pluvias, compescere ventos.  
 8 Hunc ego post patrios amnes, ut amoena vicissim  
 9 flumina nostra bibat, Athesimque Padumque parentem  
 10 hortor, et Ausonia, duce me, respiret in ora :  
 11 pollicitis precibusque animum flexisse videbar ;  
 12 Spes titubat majore minor ; postquam attigit aulas  
 13 Pontificum, celebrat quos cardine Roma corusco,  
 14 consilii subsedit inops, quo tramite vergat,  
 15 haereat has inter gazas aurique nitorem,  
 16 nosne fidemque sequi nostram velit ; inde nivalem  
 17 horret et aeriam saxosi verticis Alpem  
 18 ac putat Italiam toto distare profundo.  
 19 Hinc requies promissa trahit terrasque videndi  
 20 famosas impellit amor ; juvenilia quorsum  
 21 consilia evadant, dubium. Tibi funditus ipse  
 22 persuade, nil hoc animi modulante tumultus  
 23 juris habere sui. Pax est, ubi jusserit ille,  
 24 gaudia sub digitis habitant, dulcedine mira  
 25 vincuntur tristes et vertunt terga querelae ;  
 26 si sequitur, mulcebit agros et pascua late



27 Eridani vestrosque lacus fontesque decoros,  
 28 quos parit et vitreo mittit mons aureus amni.  
 29 Te tamen ante alios curis absolvet amaris  
 30 solamenque feret studiis calamumque juvabit :  
 31 iudice te, Philomena sibi jam luce propinqua  
 32 cedet, inexpletos juvenis dum cantat amores,  
 33 cedet olor cantu senior jam morte sub ipsa,  
 34 nubila diffugient caelo, pelagoque procellae,  
 35 parcus electrum flentes stillare sorores  
 36 incipient fratrisque minus meminisse ruinam.

AD GUILLELMUM VERONENSEM ORATOREM

P3\_03 v.1 Turbida nos urbis species et dulcis amoeni  
 2 ruris amor tulerat vitreos invisere fontes,  
 3 mirandum caput Sorgae, quod vatibus ingens  
 4 calcar et ingenio generosas admovet alas.  
 5 Hic, ubi te mecum convulsa revolvere saxa  
 6 non puduit campumque satis laxare malignum,  
 7 vernantem variis videas nunc floribus ortum,  
 8 Natura cedente operi. Pars amne profundo  
 9 cingitur, at partem praeruptis rupibus ambit  
 10 mons gelidus calidumque jugis obversus ad austrum.  
 11 Hinc medio ruit umbra die. Pars nuda tepenti  
 12 Porta foret zephyro, sed et hinc procul arcet agrestis  
 13 murus, ab accessu prohibens pecudesque virosque.  
 14 Aerias sed enim ramis viridantibus alte  
 15 littoreas volucres scopulis intexere nidos,  
 16 has musco velare domos, sed frondibus illas,  
 17 progeniemque inopem fidis trepidare sub alis  
 18 aspicias atque ore cibos captare trementi.  
 19 Concava tum querulis complentur vocibus antra,  
 20 et color hinc oculos, illinc sonus advocat aures  
 21 certatim, dulci spectacula plena tumultu  
 22 suspendunt gratove quies condita labore.  
 23 Hic unus cum pace dies exactus aventi  
 24 vix totus ; tot me laqueis, tot curia curis  
 25 implicat. Id meritum, qui vincula nota libenter  
 26 Infelix tritaque jugum cervice recepi.  
 27 Nunc tamen illius juvat hic meminisse diei,  
 28 dum latices, dum prata vagus, dumque insita miror  
 29 arbuta, dum lauros alia regione petitas,  
 30 obvia Guillelmi facies ; truncisque vadisque  
 31 inque oculis tu solus eras : " Hoc aggere fessi  
 32 sedimus, has tacito accubitu compressimus herbas,  
 33 lusimus hic, puris subter labentibus undis,  
 34 Hic longo exilio sparsas revocare Camenas,  
 35 Hic Graios Latiosque simul conferre poetas  
 36 dulce fuit veterumque sacros memorare labores,  
 37 nostrorum immemores, hic cenam in tempora noctis  
 38 traximus alterno pariter sermone refecti".  
 39 Singula dum repeto, lux illa brevissima furtim  
 40 labitur et Clausa vix serum Valle revellor.  
 41 Faucibus egressus, cum jam silvestria Tempe  
 42 umbrososque sinus spectans post terga viderem,  
 43 lucidus ac mecum ad laevam descenderet amnis,

44 surgit ab adverso vulgus muliebre virisque  
 45 intermixta acies. Formae discrimina longae  
 46 nulla putes, habitum confudit Gallicus olim  
 47 luxus et ambigui textit vestigia sexus.  
 48 Congredimur magis atque magis, vultusque patescunt,  
 49 et vittae tenues et texta monilia gemmis  
 50 et crinalis honos distinctaque purpura limbo,  
 51 stellantesque nitent digiti ; propiusque per agmen  
 52 intuitus, solite post mutua verba salutis,  
 53 obstupui : tuus ignis erat, tua cura jocusque.  
 54 O qualis facies ! Oculis habitare sub illis  
 55 visus eras, salvere jubens et prendere dextra,  
 56 et mecum de more loqui. Quo pergeret ultro  
 57 percontor comites. " Fontis quo fama vocaret "  
 58 responsum ; sed forte alio de fonte latenter  
 59 causa petita viae. Quas non se vertit in artes  
 60 ingeniosus amor ? Quid non didicistis, amantes ?  
 61 Forsan in his pridem tua noverat otia terris,  
 62 et quia te nusquam, vestigia nota legebat  
 63 te recolens, fingensque tuos in imagine vultus.  
 64 Talis erat, sic visa mihi est, et quisquis amasset  
 65 diceret : " Haec ardet reducique occurrit amico ".  
 66 Ibat enim cupide studioque accensa videndi  
 67 laetior ac solito et dulcedine capta locorum.  
 68 Tentavi reditum, quasi te visurus in illa,  
 69 et jam versus eram, tecum remeare putabam,  
 70 et voces audire tuas et cernere gestus.  
 71 Ut similes ligat almus amor ! Negat illa : rigorem  
 72 Virginis Haemoniae, Phoebos mirante, videbar  
 73 aut indignantem Acteoni spectare Dianam,  
 74 si foret arcus ei pendensque in terga pharetra.  
 75 Arma ferunt oculi, dulces jacet inde sagittas,  
 76 spicula nota tibi, nec amantum incognita turbae.  
 77 Digredimur tandem, veniens nox verba diremit.

AD IOHANNEM DE COLUMNA

P3\_04 v.1 Julius alter adest, adeat simul altera limen  
 2 littera nostra tuum, curas quae narret agrestes.  
 3 Quo tandem lis longa brevis pervenerit orti,  
 4 que mihi cum nymphis bellorum ex ordine causae,  
 5 cunctos nosse reor, quae se mea carmine fama  
 6 extendit nomenque novi tulit aura poetae.  
 7 Aspera jam lustris certamina nempe duobus  
 8 crebraque conserimus : non plures Troja per annos  
 9 obstitit aut Graium coeptis aut Gallia nostris.  
 10 Omnia tentavi : spem quam mihi praebuit aestas  
 11 proxima fregit hiems auctique potentia fontis,  
 12 viceruntque operum fastidia. Cessimus ultro,  
 13 reddidimusque viam. Scopulosa repagula nusquam,  
 14 nusquam indignanti transversae in flumine moles,  
 15 ac convulsa sonant rupis fragmenta vetustae.  
 16 Unda tulit partem partemque tulere coloni,  
 17 et novus antiqui labor impulit acta laboris.  
 18 Propositum, ceu navigium, moderabor, ut ipsa  
 19 tempestas rerum hortatur ; nunc urget in austrum,

20 nunc boream septemque jubet spectare triones :  
 21 quo vocat illa sequar, ne vi trahar, omnia frustra  
 22 Nisus in adversum. Proram diversa monebo  
 23 litora respicere et ventis parere ceruchos,  
 24 atque gubernaculum partes versatile in omnes  
 25 intenta frenabo manu. Gratissimus olim  
 26 ludus erat querulas nymphas cum murmure multo  
 27 sedibus e propriis et avito expellere regno.  
 28 Annuus hinc labor et bellum immortale, favente  
 29 bruma illis, aestate mihi, cui mixta voluptas  
 30 plurima moliri captum dulcedine quadam  
 31 compulit usque adeo. Quodsi licet infima summis  
 32 et pelago angusti componere gurgitis undam,  
 33 ac regum vatumque inopes conferre paratus,  
 34 Persida sic quondam navali ponte superbus  
 35 Hellespontiaco Xerxes trajecerat aestu :  
 36 sic etiam armipotens longo post tempore Caesar  
 37 cornua Brundisii validis vincire catenis  
 38 ausus et e domito generum prohibere profundo ;  
 39 sic quoque Baiano temerarius aequore Gaius  
 40 tertia construxit tumidi spectacula fastus,  
 41 quae nunc sparsa vident nautae numerantque sub alto.  
 42 Hic Hellespontus, Baias mihi Brundisiumque,  
 43 hic ferro fodiendus Athos. Nunc altera pectus  
 44 cura subit : video naturam vincere quantus  
 45 sit labor. Ergo suum servent elementa tenorem,  
 46 amnis iter solitum. Sed enim brevis angulus haeret  
 47 rupibus ; ille quidem nympharum ab origine sedes,  
 48 nunc mea Pieridumque domus satis ampla, quod hospes  
 49 adveniet rarus, sordent quia carmina vulgo,  
 50 vitaeque nostra furor sub iudice facta furenti.  
 51 Hanc modo vallamus, quam nulla revellet aquae vis,  
 52 ni montem oppositum a radicibus eruat imis.  
 53 Si tibi cura animum, dederit si Curia tempus,  
 54 omnia, mutato, nostrum decus, ordine rerum,  
 55 me nymphis, nymphasque mihi cessisse vicissim  
 56 et cecidisse minas compressaque bella videbis.  
 57 Retia nunc sunt arma mihi et labyrinthus error  
 58 viminea contextus acu, qui pervius undis  
 59 piscibus est carcer nulla remeabilis arte.  
 60 Pro gladiis curvos hamos, fallacibus escis  
 61 implicitos, tremulasque sudas, parvumque tridentem,  
 62 piscator modo factus ago, quo terga natantum  
 63 sistere jam didici duroque affigere saxo.  
 64 Primitias en flumineae transmittimus artis.  
 65 Et versus quod Clausa domos habet artaque Vallis  
 66 quae tibi pisciculos et rustica carmina pascit.

## AD EUNDEM

P3\_05 v.1 Cuncta dies minuit : tua munera tempore crescunt  
 2 atque usus meliora facit. Tibi regius aulae  
 3 assuetus mensaeque canis somnosque superbos  
 4 purpureis captare toris, transmissus ab ora  
 5 occidua, patrios mores Hispanaque raptim  
 6 limina Romuleis opibus somnumque cibumque

7 posthabuit, sortemque novam melioraque cernens  
8 omnia, tranquilla laetus statione quievit.  
9 Hunc mihi digressus supremaque verba paranti  
10 solamen comitemque viae largiris : at ille,  
11 sublimes de sede licet venturus ad imam,  
12 paret, et injectis maestus dat colla catenis,  
13 et sequitur, nec spernit heri mandata minoris  
14 paulatim minus atque minus meminisse relictas  
15 delicias. Jam prata juvant, jam lucida tranans  
16 flumina mordet aquas, luditque in gurgite puro,  
17 fercula jam sibi nostra placent, et libera curis  
18 otia. Desertum non ampla palatia regis  
19 anteferat variasque dapes : nam panis et unda  
20 sufficiunt ac parva domus. Jam membra refulgent  
21 lota feri, cecidit scabies in fonte salubri  
22 torpenti contracta situ ; jam vertice toto  
23 altior it solito cervixque torosior extat.  
24 Jamque tumet phaleris, jam visa monilia mulcent,  
25 amplaque zona rubens niveisque intexta columnis,  
26 seque fuisse tuum recolens secum ipse superbit,  
27 multa minax. Fugit nostro de gramine pastor  
28 seque suumque gregem procul abdidit. Atria custos  
29 formidatus habet : plebs importuna procaxque  
30 hactenus obsessum metuit contingere limen.  
31 Liber ago : meus assertor mihi scilicet unus  
32 est comes assiduus. Quotiens lassata diurnis  
33 sub noctem curis thalamo mea membra silenti  
34 composui facilemque oculis dedit hora quietem,  
35 excubat ante fores. Quotiens me longior aequo  
36 somnus habet fessum, queritur, solisque reversi  
37 admonet increpitans et concutit ostia plantis.  
38 Illicet egressum vultu plaudente salutatur,  
39 meque praeit, loca nota petens et lumina volvens  
40 saepe retro. Levi sed postquam in margine ripae  
41 procubui et solitis curis insistere coepi,  
42 vertitur huc illuc, aditus circumspicit omnes,  
43 candida tum viridi projectus pectora terrae,  
44 tandem terga mihi obvertit, venientibus ora.  
45 Est inter fontes gelidos locus, undique solis  
46 pervius alitibus, scopulis et flumine cinctus.  
47 Hac gressu trepidante feror manet ille, viamque  
48 occupat et magno tegit artum corpore saxum.  
49 Latratu exiguo conspectos nuntiat ante,  
50 inde ruit, nisi forte vetes ; nam plurima servat,  
51 si quis cuncta notet, sensus vestigia nostri.  
52 Jussus inardescit ; strictis lentescit habenis,  
53 torvus ut adversus reliquos, sic blandus amicis  
54 auribus abjectis tremulaque occurrere cauda.  
55 Prospicit hunc medio transversum calle tremiscens  
56 rusticus, et legum nodos perplexaque jura  
57 consiliumque domus inopis, connubia natae  
58 me percontari solitus, velut Appius alter,  
59 Aciliusve forem, et Musas turbare quietas ;  
60 nunc secum sua solus agit : mihi, maxima vitae  
61 commoditas, mecum esse licet ; quae cuncta fatebor  
62 Muneribus debere tuis. Solacia mille  
63 praeterea : saltu colles amnemque fatigat,  
64 arguta pueros imitatur voce canentes

65 et risus motura facit. Penitusque vadosis  
 66 anseribus gravis hostis adest, per littora et altos  
 67 insequitur scopulos : fundo nec tutior imo est  
 68 aliger infelix : medio nam flumine prenum  
 69 extrahit et pingues cenas nolentibus offert.  
 70 Saepius atque epulas venatibus ornat agrestes.  
 71 Sed jocus est aut ira levis, seu grata natanti  
 72 praeda est, seu strepitu offendunt : nam mitior agno  
 73 esse solet parvis. Nunquam, mihi crede, vel haedum  
 74 vel fragilem tentabit ovem profugamque capellam.  
 75 Occursu trepidi leporis quasi territus haeret,  
 76 at fetas laniare sues validosque juvencos  
 77 audet et arreptas convellere morsibus aures.  
 78 Moribus his quondam diversi a finibus orbis  
 79 missus Alexandro canis est, et regius idem  
 80 et contemptor erat, quem non plebeia moveret  
 81 belua : non damas, non apros ille nec ursos  
 82 tangeret, alta suos servans in vulnera dentes.  
 83 Quae male cum praeceps novisset dona tyrannus  
 84 mox generosum animal, meritum meliora, peremit :  
 85 mittitur hinc alius saevos mactare leones  
 86 doctus et everso tellurem elephante subactam  
 87 concutere. Hunc juvenis tandem miratus amavit,  
 88 erroremque suum novit, serumque perempti  
 89 paenituit, quem non digno prius hoste probasset.  
 90 At mihi nota mei virtus : impune catellus  
 91 mordeat hunc lactens, quem non gravis ira leaenae  
 92 terreat orbatae nec fervens tigridis ardor.  
 93 Tu praesens, nisi fallor, eras, quando alta supremi  
 94 atria pontificis subito completa tumultu  
 95 movit, ubi intonuit, villisque rigentibus horrens  
 96 ibat, ut ostensi laceraret claustra leonis.  
 97 Vix inde abductus maerens magnumque dolorem  
 98 testatus gemitu rauco longisve querelis.  
 99 Sed multum res parva tenet : sit finis, ut unum  
 100 non sileam. Si forte aliquem videt ille tuorum,  
 101 seu casus, seu jussa ferant, quod scilicet absens  
 102 semper adesse tuis non desinis, incipit aulam  
 103 suspirare tuam, vallesque et rura perosus,  
 104 Fortunaequae memor veteris. Sors libera detur.  
 105 Mallet ad excelsam merito remeare Columnam.

## AD ARBORES SUAS

P3\_06 v.1 Silva, precor, generosa ferax per saecula, tanti  
 2 vive memor domini ! Felices surgite, plantae,  
 3 tendite pomiferos sub nubila, tendite ramos,  
 4 herbosumque solum frondosi palmitis umbra,  
 5 dum fremit ore Leo, dum sicca revertitur aestas,  
 6 protegite et solis nimios arcete furores.  
 7 Jam zephyro fluxere nives, jam bruma recessit ;  
 8 floriger ecce Aries jam Piscibus instat aquis.  
 9 Vere habitum mutare novo, viridique colore  
 10 vestiri et laetos pro tempore sumere vultus  
 11 ille jubet, qui jam vestri sibi poscere partem  
 12 dignatur fetusque graves dignabitur olim

13 (crescite ! ) Magnifica forsā contingere dextra,  
 14 Maximus ille virum, quos suscipit Itala tellus,  
 15 ille, inquam, aeriae parent cui protinus Alpes,  
 16 cui pater Apenninus arat, cui ditia rura,  
 17 Rex Padus ingenti spumans intersecat amne,  
 18 atque coronatos altis in turribus angues  
 19 obstupet, et dominum hinc illinc veneratur eundem ;  
 20 Adriaci, quem stagna maris Tyrrhenaque late  
 21 aequora permetuunt ; quem transalpina verentur,  
 22 seu cupiunt sibi regna ducem, qui crimina duris  
 23 nexibus illaqueat legumque coercet habenis  
 24 justitiaque regit populos ; quique aurea fessae  
 25 tertius Hesperiae melioris saecula metalli,  
 26 et Mediolano Romanas intulit artes,  
 27 parcere subjectis et debellare superbos.

AD PETRUM DANTIS FLORENTINUM

P3\_07 v.1 Si sapientis habent aliquid fantasmata certi,  
 2 spes mihi magna boni, longos deus ille labores  
 3 forsitan aetherea spectans miseratur ab arce  
 4 et lacrimis jam finis adest. O sera quietis  
 5 tempora grata tamen ! Sed quod prior ista videres  
 6 fecit amor patriae, quam, quo melioribus astris  
 7 nascimur, hoc animo colimus meliore parentem.  
 8 Et tua nunc igitur vigilantia pectora curae  
 9 sollicitant memoremque sopor suspendit amantem.  
 10 Tu mihi da veniam, brevior sum, dextra dolore  
 11 segnis hebet calamumque movens sibi fessa videtur  
 12 nodosam versare trabem : tibi cognita causa est.

AD ZENOBIUM FLORENTINUM

P3\_08 v.1 O felix, cui vel viduam spectare parentem  
 2 contigit atque vagas deserto in monte sorores !  
 3 Vidisti quod mundus iners, quod vulgus avarum,  
 4 posteritas quod caeca nequit. Spectacula raro  
 5 ingeniis permissa sacris, tot milia rerum,  
 6 tot curas formasque hominum speciesque laborum  
 7 cernere sub pedibus poteris tranquillus ab alto,  
 8 me procul in tenebris per devia longa viarum  
 9 errantem vidisse fuit. Sed traxit amatae  
 10 frondis odor, libuitque sequi, quem jure licebat  
 11 spernere, pierias ausum decerpere lauros :  
 12 fortior ignavum miles sic signa ferentem,  
 13 doctus inexpertos observat nauta magistros ;  
 14 propositi tamen egregii votique modesti  
 15 quisquis es, in nostrum adeo propensus amorem,  
 16 te laete cupidisque animi complectimur ulnis.

## AD ZENOBIUM FLORENTINUM

P3\_09 v.1 Dulce iter in patriam, dulcis fuga : rarior hospes  
 2 attrahit, at notae retrahunt fastidia turbae.  
 3 Quid facias, anime ? Locus is quo pergimus, inquam,  
 4 fert mala juncta bonis et dulcia miscet amaris.  
 5 Cuncta quidem subeunda simul fugiendaque nobis  
 6 cuncta simul, neque enim facilis discretio rerum :  
 7 "Eligit ille fugam ". Quid, quod nec aperta volenti  
 8 janua ? In exilium cives egere superbi.  
 9 Claudit iniquam urbem qui jus sibi supprimit aequum.  
 10 Est genus exilii tacitum, sunt vulnera caeca.  
 11 Miraris ? Cui non paucorum injuria nota est,  
 12 quam fovet immemoris populi patientia nostri,  
 13 vel vi rapta domus, vel pascua ruris aviti,  
 14 amissaeque preces et tot per inane querelae ?  
 15 Indignor ne vera negem. Tecumne licebit  
 16 glorier ? Amplexa est gremio nos aurea Roma  
 17 et civem dignata suum, dulcisque Maroni  
 18 Parthenope, sacro foedus feriente Roberto.  
 19 Quid referenda mihi seu docta Bononia legum,  
 20 seu salis inferni decorantes litora Pisae,  
 21 atque Hadriae imperitans alter que Venetia mundus,  
 22 historiaeque parens Patavum, seu Smyrna Latinis,  
 23 Mantua sidereae nutrix longaeva poesis,  
 24 Parma vel imperii clipeus, si credimus olim  
 25 Romuleos dum dura duces fortuna premebat.  
 26 Quid loquar hesperias urbes atque oppida nostrum  
 27 inter honoratos numerantia nomen alumnos,  
 28 vestra quod una suis abolet Florentia fastis ?  
 29 Longius impellor, calamum rapit ira calentem ;  
 30 Gallia me voluit, proles generosa Philippi  
 31 non neget : extremi proprium voluere Britanni :  
 32 immeritum, fateor, sed in hoc mihi sidera saltem  
 33 dextra favent, levi mulcentia luminis astrum.  
 34 Quo tulit ecce dolor ! Laeso tu parce loquaci,  
 35 non fugimus patriam, sed nos fugat illa profecto.  
 36 Mos vetus exemplis illustribus ! Aspice busta  
 37 sparsa virum, patria vetitum tellure jacere,  
 38 quos cives, quaenam peregrino in pulvere saxa !  
 39 Quos cineres, quae membra premunt ! Solabimur ergo,  
 40 et moniti meliora animo tolerabimus aequo.

## AD BRUNUM FLORENTINUM

P3\_10 v.1 Pierias comites et plectra sonantia Phoebi,  
 2 Haemoniamque alio laurum procul orbe relictam  
 3 noveris, antiqui pretium praedulce laboris.  
 4 Tristia pro Musis habitant praecordia curae,  
 5 e quibus infaustas mors imperiosa choreas  
 6 fortuna modulante ciet. Non aridus agnos  
 7 dente lupus rapido, teneros non feta juvenos  
 8 tigris et imbelles Jovis armiger ungue columbas  
 9 acrius insequitur, quam me trux illa meosque,  
 10 me linquens rapiensque illos ; quo Musa dolore  
 11 coeptum liquit opus ; elegos et flebile carmen

12 fessus arat calamus, siccis sitit "Africa" glebis  
 13 nostra, fatigato longum deserta colono,  
 14 Castalii nec fontis opem, nec frondis odorem  
 15 sentit Apollineae, sed robora dira, cupressos,  
 16 funereosque rogos lacrimarum proluit imbri,  
 17 quem nimbi tristesque animi peperere procellae.  
 18 Heroas canere institeram : conatibus obstant  
 19 sidera magnificis ; alio levis orbita calle  
 20 ingenii transversa mei. Male sanus ad aegros  
 21 ducor et heu maerens aliorum lumina tergo :  
 22 cogis enim, Fortuna nocens, en tempore quanto  
 23 quinque sepulcra virum, quales si prisca dedissent  
 24 saecula, Maeonio vigilatum carmen Homero  
 25 clara vel Ausoniis celebrasset Mantua Musis.  
 26 Ergo deas alibi, sed quid loquor ? Omnia tecum,  
 27 et Phoebum et comites totumque Helicon require ;  
 28 ars mihi jam gemere est et castigare gementes.

AD GULIELMUM VERONENSEM ORATOREM S.

P3\_11 v.1 Febribus obsideor validis mortemque propinquam  
 2 suspicor : haec inter turri vigil improbus alta  
 3 excubat, et rauco pernox obmurmurat ore.  
 4 Classica dira fremunt, belli circumvolat horror,  
 5 ditia barbaricis vacuantur rura rapinis  
 6 innocuusque cruor per dulcia funditur arva.  
 7 Vulgus inane gemit, taciti stant limine patres,  
 8 femineaeque sonant per compita maesta querelae.  
 9 Singula dum premerent, celsam rationis in arcem  
 10 evasi, fateorque libens haec tempora linquo.  
 11 Hactenus hic animi status est mihi, cetera morbo,  
 12 si nequeam victus, pro me vaga fama loquetur.

AD EUNDEM S.

P3\_12 v.1 Actum erat, extremam victus rapiebar ad horam,  
 2 potio ni tristis bilem domuisset amaram  
 3 artificii praetenta manu. Mox limine ab atro  
 4 Mortis ad astrigerum videor mihi versus Olympum,  
 5 nunc terram titubansque premo. Voxque ipsa fatetur  
 6 semianimem pallorque gravis, spes reddita vitae,  
 7 cetera conveniunt morti. Tu vive diuque,  
 8 quicquid erit, laetum, nostri memor, exige tempus.

AD IOANNEM BARILEM NEAPOLITANUM MILITEM S.

P3\_13 v.1 Doctus ad horrificam delectus nauta procellas,  
 2 grande onus et rari mixtam tibi sentis honoris  
 3 materiam imponi. Famam, nisi fallor, amabat  
 4 qui jussit tam magna, tuam ; verum otia nostra  
 5 oderat ac requiem. Spectati dextra magistri  
 6 poscitur ad clavum quotiens violentior auster



7 incubuitque vadis scopuloque illisa maligno  
 8 ingemuit raucum jam pervia fluctibus alnus.  
 9 At quotiens caelo mitis jacet unda sereno  
 10 blandus et Hesperio zephyrus suspirat ab axe,  
 11 cura gubernaculi minor est, minus indiget artis  
 12 atque operae, fragili quamvis credenda lacerto.  
 13 Tu Syrtim ambiguam ventis frangentibus aequor,  
 14 litoreosve canum strepitus refluumve Charybdim  
 15 Euxinumve fretum rapidi sub faucibus Histri  
 16 ingressum te, care, puta. Tamen omnia virtus  
 17 vincet et ancipiti tua carbasa certa profundo  
 18 vis animi generosa reget. Mirabere forsitan :  
 19 spes ea, vester amor, desideriumque metusque  
 20 sollicitant, quo calle queam de litore tuto  
 21 in puppim transire tuam, visurus ab alto  
 22 monstra maris tumidi et portum subiturus eundem.

AD NICHOLAUM FLORENTINUM S.

P3\_14 v.1 Si juvat agricolam ruris spectata subacti  
 2 Gloria, dum fulvas oculo metitur aristas  
 3 divitiasque suas, tamen idem in colle benigno  
 4 dulcius aeriam quercum fagumque comantem,  
 5 pampineisque notat vestitam vitibus ulmum :  
 6 pastorem si fama gregis vulgata superbum  
 7 efficit, ac toto secernit ab agmine magnum  
 8 laetior herbosa ludentem in valle juvencum,  
 9 hunc colit ante alios mulcens, hunc nomine certo  
 10 signat, odoratis intexens cornua sertis.  
 11 Quanta mihi gentique putas tua gloria nostrae,  
 12 quantaque lux patriae, quem tot tolerare laborum  
 13 aspera, tot laqueos cauto transcendere gressu  
 14 hostibus horrendum carumque videmus amicis,  
 15 quem nec torva minis, claro nec perfida coepto  
 16 blanditiis Fortuna movet, tam tristibus unum  
 17 quam laetis mirata virum. Tibi carbasa cymbae  
 18 et clavum lassata suae Trinacria tandem  
 19 credidit. Extrema sic tempestate magister  
 20 eligitur, dubio miles sic saepe duello.  
 21 Sorte sub ancipiti, generosis lecte periclis,  
 22 vive tui nostrique memor. Quas insita virtus,  
 23 quas animo, spes nostra, faces, tibi prima placendi,  
 24 proxima cura bonis, turbaeque accendet amanti,  
 25 quos inter numerare tuum dignabere vatem.

AD FLORIANUM ARIMINENSEM MUSICUM S.

P3\_15 v.1 Orpheus Euxinios solitus vel carmine fluctus,  
 2 vel Thracum mulcere feras truncosque sequentes,  
 3 clarus avis proavisque fuit saecloque loquaci  
 4 inter semideos habitus : sed tempore nostro  
 5 Orpheus alter adest, si quid mihi credere tutum est,  
 6 non minor antiquo. Nisi quod modo surda canenti  
 7 monstra parit tellus ; redeat licet ille, nec iram

8 nec luxum frenare queat victusque tenaci  
 9 cedit avaritiae, tanto fecundior aetas  
 10 sera mali, tantum has acie vicere nepotes  
 11 ut longo postliminio consumpta reposcant  
 12 membra senes Stygiaque datum sit valle reverti,  
 13 tangere jam dubias mensas dextrasque cruentas  
 14 permetuant, tectoque negent habitare sub uno,  
 15 aut simul invalidae retinacula solvere puppis.  
 16 Adde quod ignavo calcar locus incutit aevo  
 17 et mundi sentina gravis : sic pestibus una  
 18 musica cum geminis bello concurrat iniquo.  
 19 Collibus his Rhodope multum, me iudice, multum  
 20 impar erit feritate sua, nec Thracius Hebrus  
 21 certet aquis Rhodani. Sunt hic praedura metallum  
 22 pectora, sunt silices animi, sunt viscera flammae,  
 23 semiviros per prata boves, perque atria cernas  
 24 semiboves errare viros. Non unus opacam  
 25 Minotaurus habet perplexi tramitis aulam ;  
 26 plurima permixtae caecaeque libidinis extant  
 27 signa per infames partus sobolemque nefandam,  
 28 et natos furor unus agit rabiesque famesque  
 29 dira, nec immites cessant a sanguine fauces,  
 30 nec septena virum, sed jam millena vorantur  
 31 corpora justorum, nec solae urgentur Athenae,  
 32 sed cupidis totus laceratur dentibus orbis.  
 33 Hortor abire locis, Itala tellure daturum  
 34 ingenii documenta sui ; tum currere quercus,  
 35 saxaque mota sono blandosque videbimus ursos.

## AD EUNDEM

P3\_16 v.1 Cesserat assidua victus prece plectiger Orpheus,  
 2 Orpheus hic praesens, aevo, non arte secundus,  
 3 ausus opes sprevisse inopes, ignobile pondus,  
 4 jamque animo carpebat iter, sed vasa legenti  
 5 occurrit violentus Amor, dextramque superbam  
 6 inicit invalido. Mirum ! Meretricula tanto  
 7 imperat ingenio : cessit reverentia, cessit  
 8 alma fides, cessere preces. Sic vincimur omnes  
 9 unius illecebris et Musica servit Amori,  
 10 cui mare, cui tellus, cui servit Jupiter ipse.

## AD IOHANNEM BOCCACIUM FLORENTINUM POETAM

P3\_17 v.1 O ego, si qualem tu me tibi fingis amando  
 2 sors daret, ut vigiles sopirem carmine curas,  
 3 qualia nubiferae scopulosa per avia Cirrae,  
 4 qualia Castalii modularer ab aggere fontis,  
 5 solamen latura tibi ! Sed, crede fatenti,  
 6 fallit Amor, qui saepe deos hominesque fefellit,  
 7 judiciis adversa lues. Si carmina vulgus  
 8 nostra legit, quae causa tibi nunc summa querelae est,  
 9 quod passim vulgata avido celentur amico ?  
 10 Nil mihi, nil nostris poterat contingere Musis

11 tristius : id primum moturos nempe libellos  
 12 admoneo, ut vulgus fugiant paucisque placere  
 13 contenti hospitibus, penitus fallentibus auris  
 14 abstineant, plaususque leves et murmura temnant.  
 15 Ingenio sin fata favent, ut forte per ora  
 16 docta virum vivus volitem, licet ardua semper  
 17 haec via sit temptata mihi, tamen ipse mearum  
 18 conscius obstupeam rerum. Dum scribimus ecce  
 19 horrendum violenta tonat miscetque dolores  
 20 et varios Fortuna metus. Tot vulnera rectum  
 21 totque minas perferre grave est. Hinc nuntius atque hinc  
 22 tristis adest : illum mors abstulit atra sodalem,  
 23 hunc gladii rapuere truces, hunc carcer, at illum  
 24 morbus habet, volucres alius rabiemque ferarum  
 25 aequoreosque alius pascit sub gurgite pisces.  
 26 Cor mihi non adamante rigens, nec ferrea mens est,  
 27 permoveor. Taceo propriam, quae longa malorum  
 28 historia est ; quibus hoc signum petat illa sagittis,  
 29 pectus et hoc quanto praetentans ariete pulset.  
 30 Obnixi contra stamus, tum pondere nostro,  
 31 tum simul exemplis : quis monstrum fortiter illud  
 32 vicerit interdum trepidi titubamus. Ita omnem  
 33 corpoream requiem mentis labor, atque vicissim  
 34 Pacem animi internam fortunae proelia turbant.  
 35 Vincemus tamen, ut spero, clarumque tropaeum  
 36 victa ferox inimica dabit. Sed, stante duello,  
 37 turbidus ingenii status est, vix temporis hujus  
 38 acta probare rear doctos. Verum omnia postquam  
 39 nostra placent, voti compos, breve suscipe carmen  
 40 et fessae lege signa manus, ac mitte querelas.

AD BARBATUM SULMONENSEM S.

P3\_18 v.1 Rus mihi tranquillum media contingit in urbe,  
 2 rure vel urbs medio, sic prompta frequentia soli.  
 3 Promptus et in latebras reditus, dum taedia turbae  
 4 offendunt. Hos alternos urbs una regressus,  
 5 hos dedit una domus, senium quae pellit et iram :  
 6 nam desiderium valvas transgressus abunde  
 7 lenio, semper adest oculis animoque vicissim  
 8 quod placeat possitque graves avertere curas.  
 9 Rursus et, ut strepitus pertaesum, limen amicum  
 10 transeo, multa uno fugiens fastidia passu,  
 11 et querulum obverso secludens cardine vulgus.  
 12 Hic mihi tanta quies, quantam nec valle sonora  
 13 Parnasi, nec Cecropiae per moenia villae  
 14 invenit studiosa cohors, heremoque silenti  
 15 vix Aegyptiacae cives, nisi fallor, arenae  
 16 angelici sensere patres. Fortuna, latenti  
 17 parce, precor, parvoque volens a limine transi,  
 18 et regum metuenda fores invade superbas.

## AD EUNDEM S.

P3\_19 v.1 Sors sua quemque vocat : rigidam transire per Alpe  
2 sole nivem radio nondum frangente, jubemur,  
3 obscaenosque locos, informia claustra malorum  
4 atque feram Rodhani totiens contingere ripam.  
5 Heu quis agit mea fata deus ? Quis sidera volvit  
6 noxia ? Si patrium fesso fortuna sepulcrum  
7 invidet, extrema liceat jacuisse sub Artho,  
8 aut ubi serpentes habitant, ubi nascitur Auster,  
9 Caucasea sub valle libens, Atlante sub alto  
10 et vivam et moriar, modo sit, dum vivitur, almus,  
11 cujus ab alternis respirem tractibus, aer,  
12 barbara, dum morior, saltem cui reddere corpus  
13 terra queam. Nihil e toto plus posceris orbe.  
14 Hoc etiam, fortuna, negas ; huc volvis et illuc,  
15 nullaue jam tellus, nullus mihi permanet aer,  
16 incola ceu nusquam, sic sum peregrinus ubique.  
17 Siste, precor, quacumque libet regione meoque  
18 ludibrio lassare, ferox. Non munera regni  
19 multa tui, non ampla peto ; permittite quietam  
20 paupertate frui, patere hanc in rure repostam  
21 aetatem transire brevem. Jam proxima mors est,  
22 libertasque simul, medium sine turbine tanto  
23 tempus eat ; non ambitio nec avara trahit mens.  
24 Tu longos sine fine adigis perferre labores ;  
25 qui, quoniam assidue rapido cum tempore crescunt,  
26 quis mihi portus erit ? Qualem sperare senectam  
27 linquitur ? O miseris perplexum ambagibus orbem !  
28 Celsa tremunt, pendet medium, calcamur in imo.  
29 Ima placent, tamen aereo ceu vertice semper  
30 Mens tremat et medio pendet velut anxiosa calle.  
31 Id queror in primis. Quoniam haec discordia rerum ?  
32 Si nimbos saevumque jugis saevisse Tonantem,  
33 si pelago fluctus tempestatesque profundo,  
34 naufragiumque gemam, desit patientia et aequi  
35 iudicium : arentis sed enim modo gurgitis undi  
36 obruor indignans, humilique in pulvere ventis  
37 fulminibusque premor : sic nil mihi profuit altum  
38 sollicitate vitasse locum. Verum ista profecto  
39 justa, sed et sera est et longa et vana querela.  
40 Sors igitur mea me repetit tritumque viator  
41 prendere jussus iter carosque relinquere amicos,  
42 urgeor Alpinum raptim penetrare Tridentum,  
43 Danubiumque novum juvenemque ab origine Rhenum  
44 Germanosque lacus : claudit namque hostis apertas  
45 ense vias. Quid agam ? Rebus parere coactum  
46 durius est, et ferre jugum sine murmure praestat.  
47 Pareo. Tranquillum dulcis mihi fluxerat annus,  
48 sed brevis heu nimiumque fugax, oblitaque forte  
49 tantisper fortuna mei, dum cetera gaudet  
50 praecipiti versare rota, mihi grata relinquit  
51 otia, nunc eadem Sphingosa negotia reddit,  
52 et labor invisus placidam fugat ecce quietam.  
53 Tu, felix Barbate, tuum ne desere nidum.

## AD GUILELMUM ORATOREM VERONENSEM S.

P3\_20 v.1 Ausonias spectare fores adamante superbo,  
 2 non silice exstructas, nisi te sine dulce fuisset :  
 3 vidi etenim limenque rigens et claustra supremi  
 4 artificis firmata manu nymphasque sonoras  
 5 caeruleumque Athesim subeuntem gurgite blando.  
 6 Flectitur ille volens Alpini conscius ortus  
 7 et supplex melioris adit confinia mundi  
 8 Naturaeque humiles grades agit, alta Veronae  
 9 moenia, frondosos colles, pulcherrima Martis  
 10 pascua et Adriaci famosas aequoris urbes,  
 11 non Istrum Peucemque feram, glacialia rura,  
 12 litora nec Scythici visurus turbida ponti.  
 13 Non modo res nostras igitur, pecudumque ferarum,  
 14 ac terras fluviisque vagos invicta regit sors.  
 15 Vidi et terrificam solido de monte ruinam  
 16 atque indignantes praecluso tramite Nymphas  
 17 vertere iter dextramque vadis impellere ripam,  
 18 et didici insano provisa pericula vati,  
 19 oppressum subita populum sub strage misellum.  
 20 Mors inopina hominum et proprii mens inscia fati !

## AD IOHANNEM BARRILEM NEAPOLITANUM MILITEM S.

P3\_21 v.1 Res ingens tempusque breve est : haec summa malorum.  
 2 Inscius in laqueos recidi. Quid singula verbis  
 3 expediam caecumque chaos, Labyrinthia claustra,  
 4 erroresque novos et inextricabile saeptum,  
 5 sollicito quod turba gratu miserabilis ambit,  
 6 amissumque semel nequit unquam attingere limen ?  
 7 Hic me delusum totiens, nunc sidere maesto  
 8 carcer habet miserieque vagor pars una popelli,  
 9 ipse mihi indignans inamoenaque compita lustris.  
 10 Rex tonat horrendus, stat sortibus urna malignis.  
 11 Quis jussus prior ire mori ? Quem fata secundum  
 12 saeva vocent ? Nec fila ferunt, nec verba puellae  
 13 reginae miserantis opem, nec Daedalus usquam est.

## AD FRANCISCUM PRIOREM SANCTORUM APOSTOLORUM DE FLORENTIA S.

P3\_22 v.1 Miraris quae causa morae ? Labyrinthus in arvis  
 2 Niliacis Gnosoque fuit, mox tertius error  
 3 Lemnius, extremus Clusini gloria regni.  
 4 Omnia succumbunt senio, ruit ecce quaternus  
 5 carcer et auroram caecae videre cavernae.  
 6 Sed toto Dictaea domus famosior orbe  
 7 jam nomen vel sola tenet, solusque repertor  
 8 consilii vulgo clarus cautissimus idem,  
 9 et genitricis enim et natae solator amantis.  
 10 Armenti regina ducem miserabilis arsit,  
 11 et subjecta fero mendacis tegmine vaccae  
 12 optavit verum esse pecus, sed honestior ignis  
 13 corripuit sobolem, salva pietate, furenti  
 14 ignoscendus amor. Ruit horrens machina postquam

15 dextra viri fortis monitis annata puellae  
 16 perculit informis squalentia pectora monstri.  
 17 Ipse faber fraudum penna trepidante per auras  
 18 fugit, et amisso maestus super aequora nato,  
 19 fessus et Euboica demum requievit in ora,  
 20 qua secat Argolico campanas vomere Baias  
 21 advena Calchidicus fruiturque salubribus undis.  
 22 Sed quorsum tibi nota trahens ignota profari  
 23 demoror ? Utque volans alium delatus in orbem  
 24 Daedalus ad Rhodani laevam, nova monstra novasque  
 25 ambagum formas et plena doloribus antra  
 26 struxerit, ut nullus reduci vestigia filo  
 27 dux incerta regat, laqueos ut nuper in istos  
 28 incidere nequeamve pedes cum laude referre.  
 29 Non hinc Aegides, non hinc Minoia proles  
 30 Daedalion ingenio freti, non ipse magister  
 31 exeat : ira viam faciet, dolor induet alas.  
 32 Hinc ego vel nudus fugiam, nisi barbaram busti  
 33 sors mihi servatur, fugiam similisque volanti.  
 34 Jam Ligurum colles facilemque remetiatur Alpem,  
 35 limina pontificum totiens damnata relinquens.

AD EUNDEM S.

P3\_23 v.1 Scilicet immensae quod Flaccus dixerat Urbi :  
 2 "Belua multorum es capitum ", sibi vindicat omnis  
 3 villula. Fumosis sunt oppida moenibus, unde  
 4 pastor et hirsutus quondam veniebat arator,  
 5 nunc vagus impostor quique omnia littora lustret  
 6 insomnis mercator adest, quique omnia sulcet  
 7 aequora, et excisum patrio de stipite remum  
 8 ignotis qui verset aquis ; qui sidere in atro  
 9 pervigil instantes mundo notet ante tumultus,  
 10 publica praesagis aut funera cernat in astris,  
 11 aut simulet ; qui vel tristi radice paventem  
 12 aegrotum, vel morte levet ; qui pulvere et herbis  
 13 improbus ex variis medicatum spondeat aurum ;  
 14 vulnera qui curet verbis et credula fallat  
 15 artibus innumeris insani pectora vulgi,  
 16 solvere qui legum laqueos et vincla professus  
 17 sudat et attonitum teneat sub rostra clientem.  
 18 Quid loquar artifices scelerum, quos surgere passim  
 19 cernimus, immites humili de stirpe tyrannos ?  
 20 Jam quaecumque palus Syllas alit atque Neronem,  
 21 portentum regale prius sic flumine longo  
 22 Assyrium nostras defluxit virus in oras.  
 23 Nos miseri, venale pecus, vilisque lupinae  
 24 praeda famis, sequimur dominos, dominarier orbi  
 25 quos magni docuere patres. Nec tuta dolendi  
 26 libertas justaeque sonant impune querelae,  
 27 supplicium dolor ipse timet, nec parva gemendi  
 28 materia est, non flere palam. Maria horrida velo,  
 29 o mea Calliope, et remis fugiamus adactis,  
 30 securum carpamus iter, speciesque laborum  
 31 et cursus vitae varios populumque canamus.  
 32 Laeditur hic gratis, cujus discrimina mille,

33 Mille artes et mille viae parque omnibus error.  
 34 Quaelibet ancipitem pariet tibi silva sophistam,  
 35 vepribus eliciet doctum nemus omne Platona,  
 36 quolibet argutus procedet Tullius antro,  
 37 aliger ex omni veniet tibi Daedalus Alpe.  
 38 Si status hic ruris, quaenam confusio vasto  
 39 in populo, qualis magna labyrinthus in urbe ?  
 40 Quae si visa premunt animum, si dulcia turbant  
 41 otia, cunctamur tristes abrumpere nodos  
 42 ac laetam temptare fugam ? Vestigia vulgus  
 43 nota sequatur iners ; at nos Helicone sub alto  
 44 secretos longae nitamur carpere calles.

## AD ITALIAM

P3\_24 v.1 Salve, cara Deo tellus sanctissima, salve,  
 2 tellus tuta bonis, tellus metuenda superbis,  
 3 tellus nobilibus multum generosior oris,  
 4 fertilior cunctis, terra formosior omni,  
 5 cincta mari gemino, famoso splendida monte,  
 6 armorum legumque eadem veneranda sacrarum  
 7 Pieridumque domus auroque opulenta virisque,  
 8 cujus ad eximios ars et natura favores  
 9 incubuere simul, mundoque dedere magistram.  
 10 Ad te nunc cupide post tempora longa revertor  
 11 incola perpetuus. Tu diversoria vitae  
 12 grata dabis fessae, tu quantam pallida tandem  
 13 membra tegant praestabis humum. Te laetus ab alto  
 14 Italiam video frondentis colle Gebennae.  
 15 Nubila post tergum remanent ; ferit ora serenus  
 16 spiritus et blandis assurgens motibus aer  
 17 excipit. Agnosco patriam gaudensque saluto :  
 18 salve, pulchra, parens, terrarum gloria, salve.

## AD ILDEBRANDINUM PADUANUM EPISCOPUM S.

P3\_25 v.1 Nuper ab Oceano multa cum laude reversum  
 2 occiduo, nunc et silvas et rura sequentem  
 3 aspera, quae fluctu glacialis proluit Hister,  
 4 conscius ingenii jam te satis arbitror omnem  
 5 Europae spectasse situm. Te iudice, pauca  
 6 disseruisse velim, quantum seu Gallica Tempe,  
 7 seu fera Teutonia tellus orbisque Britannus  
 8 distet ab Ausonio, quantum simul inter utramque  
 9 Hesperiam intersit. Namque et mihi cura videndi  
 10 multa fuit terrasque labor penetrare remotas,  
 11 nec novus hic mentem subit impetus. Acta poetis  
 12 jam pridem rerumque aliis memorata magistris  
 13 praecipue nostro res decantata Maroni est,  
 14 et mihi post alios ; rauco sub murmure dicta  
 15 nunc iterum aggredior, non inscius hanc mihi causam  
 16 multorum fortasse odii. Si vera profecto  
 17 sunt tanti, ut pariant hostem, mihi nullus amicus  
 18 esse potest ; nullam quaerendi contulit artem

19 Ingenium studiumque mihi, nec conferat oro.  
20 Ergo ego vera loqui, fierem ne publicus hostis,  
21 haud veritus, moneo ac testor : qui forsitan aegre  
22 haec legerent, oculos avertant ; perlege solus :  
23 namque tibi Musisque cano vulgumque relego.  
24 Jam primum quacumque animis regione vagemur  
25 sive per has nostris habitatas gentibus urbes,  
26 sive per Assyriae populos (nam longius ardor  
27 evehit) Aegyptumque magam, quos subdolus ille  
28 mentitus mandata Dei mulcendo fefellit  
29 sive per ignotos ritus, ubi caeca profanis  
30 templa deis, cultroque ferox ubi dira sacerdos  
31 exta secans, foedis miseros inhiare sacellis  
32 gaudet et attonitos cura suspendit inani ;  
33 quo te cumque moves, quocumque sub aethere sistis,  
34 multa tibi occurrent propriis metuenda colonis,  
35 multa tibi variarum aderit penuria rerum.  
36 Musa, gradum cohibe : quorsum temeraria pergis ?  
37 Conspuet insanum jam jam tua carmina vulgus,  
38 turba suos teneat mores, nos nostra loquamur.  
39 Gallia nec vitem nec munera Palladis ante  
40 noverat, hos serum meruit gustare liquores,  
41 postquam Roma fuit. Sed adhuc ibi rarus olivae  
42 frondet honos : nam poma quidem fragrantia nostri  
43 orbis, et aurato nusquam virgulta colore.  
44 Haec quoque diversis uterum fecunda metallis  
45 non solvit, scatebrisque caret, quibus aegra leventur  
46 corpora, nec gregibus tondetur laeta superbis.  
47 Musa, gradum cohibe. Quorsus temeraria pergis ?  
48 Germanas transire nives atque horrida vasti  
49 frigora Danubii placitum, et quos dextera Rheni  
50 ripa procul fixo subjectos respicit axi.  
51 Dulcius e rapto victuros pane Suevos,  
52 caeruleos Albis quos irrigat amne Bohemos,  
53 quos Hypanis parvae gignens animantia vitae  
54 aut vagus argenti Tanais disternit unda.  
55 Haec loca nil Baccho debentia, nilque Minervae  
56 atque parum Cereri, sileant. Pars magna Britanni  
57 litoris aut messem bibit aut liquefacta Lyaei  
58 poma, loco saevo rarum, nisi cara vehantur  
59 vina mari, pretio misere mage dulcia vitae.  
60 Flandria quid sitiens haurit nisi pocula mellis  
61 aut aliunde gravi venientia vina labore ?  
62 Quid nisi telluris cumulos jam sole recoctos,  
63 quos operosa aestas brumae transmittit inertis  
64 terrarum pars illa cremat ? Nimis ordine longum est  
65 enumerare plagas, quas frigida contegit Ursa,  
66 fertilis at zephyro situs est et fertilis Euro  
67 et sua fertilitas nimbo contigit Austro.  
68 Quis tamen ignorat quantum est quod ubique,  
69 Natura retrahente manu ? Quantumve quod obsit ?  
70 Hinc decor omnium abest nemorum, illinc dulcis aquarum  
71 Copia, damnosae vastant haec arva paludes,  
72 illa necant sentes vel putris acervus arenae,  
73 ille locus tigres silvis errare profundis,  
74 ille videt gelido volitantes aethere gryphes,  
75 ille truces pardos, rapidos habet ille leones,  
76 ille venenosos stirpes herbasque malignas :



77 germinat hic morbos, hic pullulat aspide multa.  
 78 Contra autem bona vera animi ingeniumque supremum  
 79 Aoniamque lyram, quam Graecia victa Latinis  
 80 tradidit, innumerasque libens praetervehor artes.  
 81 Italiae quid obest, nisi Mars violentus obsesset ?  
 82 Quidve deest Italis, nisi pax non deforet una ?  
 83 Nostra patent nostris, aliena revolvere mens est.  
 84 Musa, gradum cohibe. Quorsum, temeraria, quorsum ?  
 85 Ulterius transire veto, ter jussa quiesce.

AD ANDREAM MANTUANUM POETAM S.

P3\_26 v.1 I, duce vecta Pado : levis est descensus amici  
 2 gurgitis auxilio, donec deflectere cursum  
 3 obvius admoneat Benaci filius alti.  
 4 Inde sinistrorsum perges, aequae amne secundo  
 5 ibis in adversum, qua clara Maronis origo  
 6 Mantua, Pieridum quondam domus alma sacrarum,  
 7 nunc sedes invicta ducum, quae classica plectris  
 8 miscuit et vincto veneratur Apolline Martem.  
 9 Unum ibi nostrarum praeconem, littera, rerum  
 10 invenies, hunc tu nostris solabere verbis.  
 11 Nam nostram dolet ipse vicem, facilesque susurros  
 12 ruminat insulsae permotus murmure turbae :  
 13 laeta sibi in primis vultuque occurre sereno,  
 14 hisque indignantem alloquere. Etsi nulla sine hoste  
 15 gloria, parva tamen nobis objecta duelli  
 16 materia est : quos jam lustris oblita duobus  
 17 torserit invidia, non invenisse quid hiscant ?  
 18 Conceptum qua parte vomant e pectore virus ?  
 19 Una venenatis vix tandem syllaba verbis  
 20 ostendit fecitque viam ; pro crimine summo  
 21 produxisse brevem arguimur, sed caeca profecto  
 22 invidia est, cumulans nostrae praeconia laudis.  
 23 Eximiae indicium formae vix pauca, nec aequo  
 24 iudice, quae damment, inter tam multa, notari.  
 25 Naevus in insigni, quamquam levis, eminet ore,  
 26 deformis facies mendam tegit ; omnia quando  
 27 offendunt oculos, vitium non cernitur unum.  
 28 Nos igitur, quae summa rei est, an carmine longam  
 29 fecimus imo brevem, quod carmine constat eodem :  
 30 anne autem geminum dedit addita consona tempus ?  
 31 Sic animis, sic ingenio torpere videmur ?  
 32 Haec nobis ignota putant, id Musa mereri  
 33 nostra potest, tenerisque Helicon dilectus ab annis ?  
 34 Esto : ignota putent duo : num pugnancia, capta  
 35 mente, simul loquimur : juxta an longamque brevemque  
 36 ponimus ? Haud equidem censorem id credere nostrum  
 37 crediderim ; quamvis soleat sibi fingere multa  
 38 spumosa praecipiti torrensque insania Baccho.  
 39 Somnia mira vident vigiles et febre sine ulla  
 40 occupat invalidum cerebrum violenta phrenesis.  
 41 Falsum autem si saepe videt mens aegra, quid ille,  
 42 quid videt ille furens Bromii Venerisque sacerdos,  
 43 Phryx verus, semperque cibo somnoque sepultus  
 44 extremamque trahens vina inter dulcia noctem ?

45 Nota canis rabies, stant argumenta ; videbis  
 46 horrentem saetis, oculos ardere vagantes :  
 47 latrat in absentes, metuit contingere lymphas.  
 48 An brevis est. Quid ais ? Quod monstrum fata minantur ?  
 49 Quae schola grammaticum vatemque remisit asellum ?  
 50 Vina dedere animos, fecerunt vina poetam.  
 51 Sentio : pica merum tetigit rostroque madenti  
 52 decertare audet Musis. Jam simia tigres  
 53 audebit tentare feras et aranea telas  
 54 texere Palladias, cygnosque lacescere corvus.  
 55 Vis vini omnipotens ! Tenerum fugat ille pudorem,  
 56 excitat ingenium, mutos facit esse disertos,  
 57 qui modo vix calamo commissa negotia ruris,  
 58 clamosi seu bella fori trepidante notabat,  
 59 conductus pretio tenui, nunc sidere maesto  
 60 carmina nostra notat, nunc, consultore Cratino,  
 61 umida verbosis eructat metra tabernis.  
 62 Venit in Aonios subito rudis incola montes,  
 63 infecitque locos : illo spectante choream  
 64 virginei solvere chori, Peneia laurus  
 65 aruit et faciem mutavit Castalius fons,  
 66 allisit saxo cytharam turbatus Apollo,  
 67 collega regnante suo : Niseia victrix  
 68 ars, et uterque Deo collis submittitur uni.  
 69 Rusticus en censor novus, en projectus ab astris  
 70 venit Aristarchus, obelis armatus acutis,  
 71 nil atramentis umquam quod carpere possis  
 72 saepe, sed ad mensam reges et proelia Trojae  
 73 victaque non modico describens Pergama musto,  
 74 nec pudet insultare aliis. Ea gloria fusco  
 75 visa animo, fumum caelo nebulamque sereno  
 76 obliquis captare oculis et digna triumpho  
 77 syllaba nec cernit primum se falsa videre,  
 78 de nihilo insultat, maculas in lumine demens  
 79 fert proprio queritque alibi : sic illa tenebras  
 80 caeca suas putat esse domus queriturve puella  
 81 commigrare petens. Nota est tibi fabula, duro  
 82 quae Senecae risum movit. Sed callidus iste  
 83 Nostra scripta manu servare poemata fertur,  
 84 syllaba monstratur vulgo, nostrumque patenter  
 85 arguit errorem. Mirum, nam syllaba nobis  
 86 haec eadem servata domi est, ibi cauta tenorem,  
 87 et tempus tenuisse suum. Si missa retentis  
 88 discordant, cur pejorem sententia vergit  
 89 in partem ? Cur non potius properantis in actu  
 90 error erit calami ? Quod saepius accidit alta  
 91 tractanti, ingenio culpam hanc ascribere mordax  
 92 aemulus audebit ? Verum audeat ; unica nobis  
 93 sit nota, quae crebra est aliis, et crebrior ipsi  
 94 Virgilio, fervens quandoque tepescit et alget  
 95 Euripides quandoque sonans rauescit Homerus  
 96 et quandoque Maro currens pede claudicat uno.  
 97 Divinum est quod labe vacat : mortalia numquam  
 98 praehensione carent. Igitur, si jure Latino  
 99 accusator agit, petimur si crimine vero,  
 100 crimen erit veniale tamen, livorque sinister  
 101 lentus, iners, studiis praetendens retia nostris,  
 102 torqueat in gyrum sese pariatque subinde

103 quod premat invisam graviori vulnere famam :  
 104 tristis enim invidia quales effundis abortus ?  
 105 Ridiculus partus, spatio brevis una decenni  
 106 syllaba, turrigeros citius tres unica natos  
 107 Indica barbaricis peperisset belua silvis.

AD AMICUM TRANSALPINUM S.

P3\_27 v.1 Perdis, amice, operam ; mens est mihi certa manere  
 2 hic ubi sum : non me validis rapidissimus undis  
 3 impulerit Rhodanus, recta non Circius aura  
 4 moenia concutiens, ubi tu tibi tempora vitae  
 5 deligis ac bustum ; non compita vestra terentes  
 6 mille simul, parva que stridunt urbe, quadrigae,  
 7 ancora fixa solo est, moveant. Tu calcar amoris  
 8 incutis absentis, quo frena morantia rumpam.  
 9 Dum meminisse jubes, quod ut obliviscerer omni  
 10 exhortandus eram studio, tu dulce caducum  
 11 ingeris expertae formaeque fugacis honorem  
 12 et veterum mihi multa novas monumenta dierum.  
 13 Haec tamen ipsa olim, quae speserat ultima victo,  
 14 causa fuere fugae, jamque haec puerilia retro  
 15 linquimus, ad metam rapimur properantibus annis.  
 16 Una fuit quondam depectere cura capillos,  
 17 impendere diu speculo, componere vultum,  
 18 multorum placuisse oculis ; sed transiit aetas  
 19 illa mihi in tergum et numquam reditura volavit.  
 20 Jamque animum majora trahunt : quid praecipis ergo ?  
 21 Consilione tuo senior, jam segnis amator,  
 22 in flammam laqueosque ruam et juga nota subibo ?  
 23 Dii meliora boni ! Licuerunt multa jocose  
 24 tunc puero, nunc pauca viro, suntque illa pudori  
 25 fabula quod populi fuerim digitoque notatus.  
 26 Ista, precor, sileant, igitur, ne carpere mores  
 27 nunc etiam videare meos, si pauca juventae  
 28 blanda putes motura senem. Tua dulcis, amicae  
 29 interpellat item facies ? Sed forsitan aequum  
 30 id fuerat, tua cum totiens me traxerit illuc,  
 31 ut mea te tandem semel huc rapuisset imago.  
 32 An me Romani dignatio sacra moveret  
 33 Pontificis, quem saepe meos ais ordine gressus  
 34 et longas quaesisse moras ? Frons mitis ab alto  
 35 prospicit illa suos, quibus annumerare pusillum  
 36 me licet. At quorsum sitis immortalis habendi  
 37 volvet inexhausto mortalia corda labore ?  
 38 Sit parto sine lite frui. Si plura petuntur,  
 39 nec bene fundatum locus interrumpit amorem,  
 40 et patulas habet ille manus et brachia longa,  
 41 cum quibus et terras regit et freta transilit ampla  
 42 praecluditque fores Erebi caelumque recludit :  
 43 Spes autem me nulla trahit, quia nulla cupido  
 44 alligat et nullis ardent praecordia flammis.  
 45 Ingeniosus amor, quas non te vertis in artes ?  
 46 Quae tibi non tentata via est ? Horroribus imple  
 47 quam variis ? Hinc bella fremunt, hinc arma parantur,  
 48 omnia pervideo. Sed quis locus absque periculo ?

49 Quae magna cum laude quies ? Stat juncta labori  
 50 gloria languentem spernens operosa soporem,  
 51 despiciensque minas. At qui te detinet, inquis,  
 52 est mortalis homo : vita sic pendet ab una  
 53 sors tua. Sed quaenam, quaeso, non pendula sors est ?  
 54 Stamine pendemus tremulo : moriturus amici  
 55 immortale caput voto vesanus inani  
 56 optarem ? Non tanta premunt oblivia rerum.  
 57 Sum memor ipse mei, sed enim pars magna superstes  
 58 hujus erit ; multum adiciet lux ultima fama.  
 59 Clara quidem longos virtus ventura sub annos  
 60 viribus ipsa suis sublimis ad aethera surget,  
 61 non aliena petens inopis suffragia linguae.  
 62 Si tamen et praesens calamus promittere quicquam  
 63 auderet, premeret ; nec sarcina nominis ingens  
 64 afforet auxilio. Verum hinc gravioribus urges  
 65 inde latus stimulis, siquidem modo rara per omnes  
 66 et suspecta fides animos. Clarissima certe  
 67 ars, virtus, doctrina, fides rarissima semper.  
 68 Hunc tamen ex raris, siquid mihi credis, habeto.  
 69 Frustra igitur terrere paras ; si tempore virtus  
 70 prisca viget nostro, si qua est probitasque fidesque,  
 71 pectore in hoc habitant, olim concorditer una  
 72 viximus et reliquum parili stat vivere nexu.  
 73 Tempora partimur varioque expendimus usu,  
 74 et noctem longoque diem sermone morantem  
 75 ducimus. Obrepit quotiens assueta voluptas,  
 76 solus ego populum fugiens et rura pererrans  
 77 solus et ad ripam tenera resupinus in herba  
 78 ardentem transire dies rabiemque Leonis,  
 79 curarum liber video vacuusque malorum,  
 80 dum gravidus redit autumnus volucrumque catervis  
 81 retia complentur. Breve sic, comitante chorea  
 82 Pieridum, in silvis et labile ducitur aevum.  
 83 Haec mea vita placet, non ambitionis in aulam  
 84 invidiaeque sacram post tot documenta reverti.  
 85 Gratius iste quidem, quamquam jam fessus eundi,  
 86 pes Italiam calcabit humum purumque serenum  
 87 laetius his oculis et sidera nostra videbo.  
 88 Post ubi longaevo finem factura labori  
 89 affuerit suprema dies, solamen et ipsum  
 90 mortis erit, tanti in gremio lacrimantis amici  
 91 lassatum posuisse caput manibusque sepulcro  
 92 invectum jacuisse piis ; post proelia tanta  
 93 fortunae, Ausonia saltem tellure recondi  
 94 dulce mihi, et patriis longum requiescere saxis,  
 95 seraque cum fragilem tumulum convulserit aetas,  
 96 lenius Hesperia cinis hic agitabitur aura.

## AD EUNDEM S.

P3\_28 v.1 Quando erit obscuri laribus contentus Amyclae  
 2 Caesar, et imperium spernet bellumque timebit,  
 3 Appius invisae metuet certamina plebis,  
 4 mutus erit Cicero, formosus Galba, fidelis  
 5 Hannibal, infidus Scipio, Catilina pudicus

6 ac pius, armatus Thersites sternet Achillem,  
 7 Chaerilus altisono carmen dictabit Homero,  
 8 Sol Stygia perrumpet radio et mirantibus umbris  
 9 Tartaream subito complebit lumine vallem ;  
 10 aethera bos facili penetrabit et astra volatu ;  
 11 Oceanum formica vado, Tanaisque repente  
 12 ibit aqua, stringet glacies densissima Nilum,  
 13 nix aeterna teget Meroen, nunquamque carebunt  
 14 imbre Medusaeis infecta cruoribus arva,  
 15 surget ab occasu nitidis Aurora capillis,  
 16 retrogradumque diem fuscis transmittet ad Indos,  
 17 et Padus ad fontem, Vesulique redibit ad arcem,  
 18 Aetna vomet fluctus gelidos et Sorgia flammis,  
 19 aura movebit agros, contemnent nubila ventos,  
 20 montibus errabunt pisces pelagoque leones :  
 21 tunc tua propositum convellent carmina nostrum.

GENETHLIACON MARCI MEDIOLANENSII PRINCIPIS

P3\_29 v.1 Magne puer dilecte Deo, titulisque parentum  
 2 praefulgens, olim populis venerande superbis,  
 3 (sit modo vita comes, teneris sit spiritus annis),  
 4 exoptate diu nobis, patriaeque patrique  
 5 laete veni, vitaeque viam felicibus astris :  
 6 ingredi et rebus gaudens accede secundis.  
 7 Te Padus exspectat dominum, quem flumina regem  
 8 Nostra vocant ; te purpureo Ticinus amictu,  
 9 et magno genitore tumens ; te gurgite Lamber  
 10 innocuo, lateque secans pulcherrima rura  
 11 ardua caeruleus volucerque, sonantibus undis,  
 12 Ollius ac dives Tanarus ; te Trebia, nobis  
 13 jam melior, salvus te ripis laxior aequo ;  
 14 te durus rapido torrens te vertice Taron  
 15 exiguis te Parma vadis atque Entia verno  
 16 imbre furens ; teque amne minor, tamen aethere Rhenus  
 17 blandior Ausonio : quamquam quid flumina verbis  
 18 parva sequor ? Te Tyrrheni maris aestus et omne  
 19 jam nunc litus amat crebrique in littore portus,  
 20 quum procul indomitas gentes sceptrisque potitas  
 21 non pudet e gremio dominum sibi poscere vestro.  
 22 Ingens principium tibi sic, virtusque tuorum,  
 23 sic tua sors, sic fama domus, sic lumine amico  
 24 astra favent, hominumque Deus qui providet actus.  
 25 Tu quoque tranquillo votivum pectore natum  
 26 suscipe, magne parens, et per vestigia gentis  
 27 ire doce generisque sequi monimenta vetusti.  
 28 Historias alii memorandaque nomina longe  
 29 actaque clara virum repetant vulgataque bella,  
 30 sufficiunt aliis exempla domestica famae.  
 31 Inveniet puer iste domi calcaria laudum  
 32 plurima. Magnanimos proavos imitetur avosque  
 33 mirarique patrem docili condiscat ab aevo.  
 34 Cum tamen egregius vivendo adoleverit infans,  
 35 hanc habeat pateram et roseo bibat ore jubeto :  
 36 parva decent parvos, minimus sum, maximus ille ;  
 37 parva sed est aetas, lucis nova limina nuper

38 attigit et caelum trepido suspexit ocello.  
 39 Aetati non fortunae munuscola dantur  
 40 apta suae. Ludet nitido mulcente metallo,  
 41 spernet idem ex alto ; fuerit dum plenior aetas  
 42 et rutilum terrae fecem sciet esse profundae,  
 43 at fortasse sibi tunc carmina nostra placebunt,  
 44 per leget et secum : " Sacro dum fonte levabar,  
 45 tanto humilem excelsus genitor dignatus honore est.  
 46 Hic quoque devotam generoso vertice dextram  
 47 apposuit, procerum magnae pars parva catervae,  
 48 et faustum laeto Marci dedit omine nomen  
 49 ornatum celebri magnorum laude virorum,  
 50 ut sive ingenii linguae seu palma Latinae  
 51 mulceat, insigni geminum mihi lumine callem  
 52 ostendant Latii Marcus duo sidera Varro,  
 53 Marcus item Cicero, cui se lux tertia Marcus  
 54 aggreget Antonius. Sin ardua rura videre  
 55 Pieridum audire modos, Pacuvius alium  
 56 signet iter Marcus ; patriae si verus amator,  
 57 nec leto rumpenda fides, sit Marcus utrimque  
 58 Regulus exemplum ; solii si forte supremi  
 59 spes et amor moveant, surgant vestigia Marci  
 60 principis, alta sequens ; atque hic seu mitibus actis,  
 61 seu studio juvat agnosci, sint undique clari  
 62 sceptriferaeque duces ; si bellica gloria tangit  
 63 et rigor et virtus animi cultusque decoris,  
 64 et contemptus opum, Marcos Curium atque Catones  
 65 intuear ; reges acie calcare potentes  
 66 si mediter, Marcus Glabrio ; si vincere gentes  
 67 nobilior memori versetur pectore Marcus ;  
 68 hosque inter, patris patruus, quem nostra tulerunt  
 69 tempora victorem (Marcos accepimus omnes,  
 70 hunc dedimus), si templa velim strinxisse vel urbes,  
 71 aut si navali certamine victor haberi,  
 72 Marcus ad audendum stimulos Agrippa ministret ;  
 73 si placeat fraternus amor pietasque modesti  
 74 pectoris aut major rediens in tempore fama  
 75 sprete suo, Marci Fabii victoria testis,  
 76 neglectusque duci populo mirante triumphus ;  
 77 publica fata manu patriosque arcessere casus  
 78 inque suum transferre caput proprioque cruore  
 79 commune imperium fundare et turpia nulla  
 80 posse pati Marci facinus commendet Horati ;  
 81 nobilitas humili quae sit gratissima plebi  
 82 concilietque animos se Marcus Horatius alter  
 83 insigne exemplum Marcusque Valerius offert ;  
 84 esse ducem fortemque virum inter vulnera Marcus  
 85 Popilius, cautum in dubiis evadere Marcus  
 86 Caeso docet, stabilem Livii constantia Marci ;  
 87 hostis colla jugo, sociorum moenia paci  
 88 subdere, conjuncto Marcus Greganius ausu ;  
 89 hostiles aperire fores virtute vel armis  
 90 immeritosque jugo cives patriamque maligno  
 91 eripere et senium crebris ornare tropaeis.  
 92 Singula de Marci discam probitate Camilli,  
 93 consilio proprius si castigabitur error,  
 94 Marcus erit Rufus monitor ; si dulcis agetur  
 95 Libertas, animum Marcus Castricius armet ;

96 si ferro cohibere fugam et convertere in arma  
 97 consternatam aciem dux Marcus Aemilius esto ;  
 98 pellere si patriis scandentem moenibus hostem  
 99 ultima sors adigat, Marcus sit Manlius auctor,  
 100 reddere si vitam patriae casusque tremendos  
 101 sponte subire, piis Marcus conspectus in armis  
 102 Curtius hortator fuerit. Quam debita fido  
 103 inconvulsa fides Marcus Lucullus amico,  
 104 quanta hosti pietas alter post funera Marcus  
 105 Antonius, Marcusque pium me Cotta parenti  
 106 Marcus item Scaurus nato monet esse severum ;  
 107 Marcus Rutilius moderari et spernere honores,  
 108 si magnas fortassis opes, sed labe carentes  
 109 mens humana volet impleri nescia rerum  
 110 Marcus adest Crassus ; quod si de sede superba  
 111 imperia et tumidos libeat prosternere reges,  
 112 Marcus adest Brutus, stomacho metuendus amaro ;  
 113 dextera si pollens et clari fama duelli  
 114 sollicitet parilique duces sub Marte cadentes  
 115 armaque caesorum templis affixa sacratis,  
 116 tunc animum Marcus subeat Marcellus, et ille,  
 117 cui tulit auxilium demissus ab aethere corvus.  
 118 Multa unum adversus multas audere cohortes  
 119 Marcus Scaeva docet totique occurrere bello ;  
 120 crebra per adversum generosaque vulnera pectus  
 121 Sergius ostendit Marcus cum corpore trunco  
 122 et spolia et titulos vel iniquo quaerere Marte.  
 123 Religione pia caelum si cura mereri est,  
 124 quatuor ex numero Christi praecone secundo  
 125 exciter, alati signat quem forma leonis,  
 126 et cui nunc veneto locuples stat litore templum.  
 127 Undique multiplici sic prorsus honore verendum  
 128 Marcus vivifica positum mihi nomen ab unda ".  
 129 Ille quidem haec secum, sed tu sibi, magne, videbis  
 130 me velit esse suum, si sum tuus : invida forte  
 131 conspectum fugitiva viri mihi subtrahet aetas,  
 132 fac, precor, absentis memorem. Si munera multi  
 133 certatim majora parant, ferventior igne  
 134 commendet me pura fides et carmina raptim  
 135 ingenio deprompta inopi. Sub iudice tanto  
 136 sit pretium rebus justum. Laudetur amantis  
 137 lucida mens, tenebris effossum sordeat aurum.

AD GUIDONEM DE GONZAGA MANTUE DOMINUM S.

P3\_30 v.1 Itala quam reliquas superet facundia lingua,  
 2 vir praestans, Graiam praeter, (si fama sequenda est,  
 3 si Cicero) nullam excipio, brevis iste libellus  
 4 testis erit, clara eloquio quem Gallia caelo  
 5 attollitque favens, summisque aequare laborat.  
 6 Scilicet hic vulgo recitat sua somnia Gallus :  
 7 quid zelus, quid possit amor, quis pectus ephebi  
 8 ignis edat, quid ludat anus, quibus artibus [actis]  
 9 certet amans Veneris, quot sint in limine pestes,  
 10 quis labor atque dolor, requies quae mixta labori,  
 11 quae risus gemitusque vices, ut gaudia crebrae

12 rara rigent lacrimae. Poterat quod latius ergo  
 13 uberiusque dari fandique capacius arvum ?  
 14 Somniat ista tamen, dum somnia visa renarrat,  
 15 sopitoque nihil vigilans distare videtur.  
 16 Ut tuus ille olim melius concivis amoris  
 17 explicuit sermone pathos, si fabula dives  
 18 inspicitur strictaque exspirans cuspide Dido,  
 19 seu vates, Verona, tuus, seu nidus amorum  
 20 fertilis ac notus lascivo carmine Sulmo,  
 21 Umbria sive ducem ingenio largita Peligno.  
 22 Ut sileam reliquos vel quos antiquior aetas,  
 23 vel quos nostra recens latialibus extulit oris.  
 24 Nec minus hunc laete excipies, nec munera temnes  
 25 nostra ideo ; vulgaria enim et peregrina petenti  
 26 nil majus potiusse dari (nisi fallitur omnis  
 27 Gallia Pariseosque caput), mihi crede valeque.

AD AMICUM BONAE INDOLIS ADOLESCENTEM S.

P3\_31 v.1 Gratulor ingenio, quod me flammantibus usque  
 2 sollicitasse juvat stimulis ; mea gloria tales  
 3 vel fecisse manu, vel adhuc ductore carentes  
 4 invenisse operum comites atque arma dedisse.  
 5 Tu coeptum preme magnificentum et ferventius urge,  
 6 victor eris celsoque sedens sub vertice Cirrhae  
 7 dissona despicias trepidantis murmura vulgi.  
 8 Unum istud : nam verba tibi sensusque profundos  
 9 suppeditat natura parens, ut sedulus arti  
 10 des operam admoneo, neu sit ter mensa pudori  
 11 syllaba, et in digitos iterumque iterumque reversa.  
 12 Hoc age ne, minimi contemptor, maxima parvis  
 13 aspergens maculis, frondem foedare serenam  
 14 sustineas modico, meque haec tibi crede locutum  
 15 ore pio : fando videor genuisse meamque  
 16 rem gerere : optati venient in tempore fructus,  
 17 cultor ubique ferar : nec tu, dilecte, negabis,  
 18 hinc, fateor, mihi cura tuae non ultima famae est.

AD SOCRATEM SUUM

P3\_32 v.1 Artibus ut variis agitur brevis orbita vitae  
 2 et per mille vias metam properamus ad unam !  
 3 Atque ideo optatum pariter non prendimus omnes  
 4 altum iter et durum. In primis nec mole gravatis  
 5 corporea ascensus facilis scopulosaque saxis  
 6 undique praeruptis, anceps via turbat euntes,  
 7 undique terribiles lapsus atque undique mors est.  
 8 Per medium securus eas, hoc tramite pauci  
 9 incedunt. Plures videas in valle profunda  
 10 errantes, passim caecos ad Tartara gressus  
 11 ferre. Quid heu tantum miseris mortalibus obstat ?  
 12 Quid Samii senis in bivio deflectere cogit  
 13 ad laevam atque iter usque adeo contemnere dextrum ?  
 14 Excelso stat vita loco : nos ima sequentes



15        vergimus ad mortem. Fulgentia sidera circum  
 16        volvuntur lege aeterna, nos lumina proni  
 17        figimus in terram, terrenaque semper amamus,  
 18        seu gaudemus opes tacitis fodisse sub antris  
 19        pallentes caelique sacrum fugisse decorem  
 20        ac manes turbasse atros, dum flava metallum  
 21        vena vomit curasque et magnum ac dulce periculum,  
 22        sive gulae imperio terras vexamus et aequor  
 23        aeriasque plagas, quam si spectare liberet,  
 24        Pulchra fames alias cupido sub pectore mensas  
 25        volveret interdum. Corpuscula vilia, quantum  
 26        perditis impense ? Fragilem quid rumpitis alvum,  
 27        quae modico tranquilla foret nimioque laborat ?  
 28        Singula si numeres, studium vix turpius ullum.  
 29        Quid loquar hos qui rostra colunt, qui vulgus adorant,  
 30        quos favor ambiguus turbae plausus fatigant,  
 31        quid, quos cedis, amor, miseros ? Spesque improba Martis  
 32        praecipitat ? Laetis maesto spumantia tabo  
 33        tela vident oculis et campum strage rubentem :  
 34        buccina non illos, non ulla pavoris imago,  
 35        non gladii ancipites, non vulnera saeva nec imber  
 36        sanguinis aut foede laniata cadavera terrent.  
 37        Quid quibus alma fides, pietas quoque viluit omnis  
 38        atque dei atque hominum, dubio dum calle supremum  
 39        ac tremulum properant fortunae scandere culmen ?  
 40        Quos furere in triviis compellit inutilis omnis  
 41        quam longa est aetas et perdere littera tempus ?  
 42        Quos operosa domus ruituraque tecta morantur,  
 43        immemores busti ? Quos durum uxoris iniquae  
 44        imperium exercet nulloque labore domandum  
 45        ingenium nati indocilis servique trilinguis ?  
 46        Quos sentosus ager, quos grex moribundus anhelos  
 47        aut apium fugitiva cohors et mellis amari  
 48        cura facit damnique metus spesque arida lucri,  
 49        atque arsura sitis parto ? Quos languida messis,  
 50        institor aut tardus pugnansque Aquilonibus Auster  
 51        exanimant, tristesque infami nomine Syrtes,  
 52        aut hinc Scylla fremens, illinc violenta Charybdis,  
 53        ac medio ventura ratis fortunaque semper  
 54        fluctibus ac ventis tortisque rudentibus acta ?  
 55        Quid quos flamma animi laribus propellit avitis  
 56        per maria et scopulos volvens, quis vita per undas  
 57        degitur infelix, quibus apparat unda sepulcrum,  
 58        et jejuna avidos exspectant viscera pisces ?  
 59        Praetereo ridenda magis : quos retia fusca  
 60        tendere nocte juvet, bellumque indicere silvis ;  
 61        quos aper attonitos habeat, dum vulnifer uda  
 62        valle furit ; quos cervus agat per devia saltu,  
 63        per frutices, quos parva vagos gressuque silenti  
 64        ducat avis, lento cohibens suspiria freno ;  
 65        erigat ad caelum quos nubibus anser aquosis  
 66        involitans ; quos piscis acu captandus adunca,  
 67        ceu rigidum incurvet gelido de marmore corpus ;  
 68        quos habet aut foedus fornix aut umbra tabernae,  
 69        anxia damno quos atterit alea ligno ;  
 70        turbida quosque tenax ligat ad spectacula circus  
 71        oblitosque cibi sub tarda crepuscula servat.  
 72        Quid quos caeca Venus, quos inconsulta voluptas

73 tempus in omne rotant, insomnes ducere noctes  
 74 cogit iners et blanda lues trepidumque soporem  
 75 carpere et aut nivibus mediis aut imbribus ultro  
 76 ponere inerme latus sub limine tristis amicae  
 77 ac propriis gaudere malis, dum credula mentes  
 78 spes alit interea stimulisque ferocibus urget :  
 79 seu quos forma fugax fulgorque brevissimus oris  
 80 praerapidumque decus speculo suspendit inani ?  
 81 Sic suus urit amor, sic fert sua quemque cupido.  
 82 Sola jacet virtus, poterat quae sola beatos  
 83 efficere et vitae tranquillum sternere callem.

AD FRANCISCUM PRIOREM SANCTORUM APOSTOLORUM DE FLORENTIA S.

P3\_33 v.1 Vivo, sed indignans quod nos in tristia fatum  
 2 saecula dilatos pejoribus intulit annis.  
 3 Aut prius aut multo decuit post tempore nasci ;  
 4 nam fuit, et fortassis erit, felicius aevum.  
 5 In medium sordes, in nostrum turpia tempus  
 6 confluisse vides, gravium sentina malorum  
 7 nos habet : ingenium, virtus et gloria mundo  
 8 cesserunt regnumque tenent fortuna, voluptas,  
 9 dedecus. Ingenti nisu nisi surgimus, actum est.  
 10 Ibimus in scopulos, torrente rotabimur atro,  
 11 ossa rigens tellus et inania nomina bustum  
 12 conteget exiguum ; longo mox parta labore  
 13 fama cadet, cinerum custos intercidet urna,  
 14 aura feret cineres, attrito in marmore nomen  
 15 vix leget acclinis concisum in frusta viator,  
 16 cuncta premet tempus. Si mens obstare prementi est,  
 17 attollamus humo spes fessas, nulla carinas  
 18 ancora mobilibus suffixa moretur arenis.  
 19 Hoc Helicone meo circumviridantibus herbis  
 20 fontis et ad ripam queruli sub rupe silenti,  
 21 atque inter geminas, properatum perlege, lauros,  
 22 quas tibi, sacrata forsan sessure sub umbra,  
 23 dum sererem, heu quotiens suspirans : " Crescite ", dixi !

AD GULIELMUM VERONENSEM ORATOREM S.

P3\_34 v.1 Tu quid ages ? Sacramne paras invisere Romam  
 2 jam tandem ? Poterisne pio dare terga labori,  
 3 aut segnem patiēre moram ? Verona tot annis  
 4 possedit longoque suum te dulciter aevo  
 5 possideat serumve tibi paret alma sepulcrum.  
 6 Roma nihil ? Meliora Deus. Si tempore tanto  
 7 ingenii mihi cura tui, si pectoris ardor  
 8 Notus ab experto, pridem generosa voluptas  
 9 egregium monstrabat iter stimuloque latenti  
 10 urgebat, sed frena domus studiumque tuorum  
 11 et patriae stringebat amor. Nunc major in altum  
 12 cura vocat. Cessas ? An dum patet arta salutis  
 13 semita, quam stravit Christi pius ore minister,  
 14 quam Cimbro permixtus Hiber Graioque Britannus  
 15 permeat extremæ conjunctaque Cyprus Hiberæ

16 et Dacus et rutilo perplexus crine Suevus,  
 17 stabis iners Italus ? Sic semper proxima sordent ?  
 18 Sic longinqua juvant ? Felix peregrinus ad astra  
 19 ire potes saltu facili, contemnis an ipsum ?  
 20 Id minus est ? An dum redeat jubilaeus et errans  
 21 quinquaginta vagis iterum sol flexibus orbes  
 22 expleat ac revehat quas nunc male perdimus horas  
 23 expectamus adhuc ? Caeli quicumque viator,  
 24 Longum iter est, properat, tempus breve, nulla futuri  
 25 Sollicitudo premat ? Neu te mentita dolentum  
 26 impediatur pietas, affusam in limine matrem  
 27 despice, nec teneri moveant te dulcia nati  
 28 oscula, grandaevum fugiens sine flere parentem  
 29 et sine ventus agat suspiria tristis amici :  
 30 non natae seu forma virens, seu nubilus aetas,  
 31 non germanus amans, trepidae non verba sororis,  
 32 candida nec blando teneat te murmure conjunx.  
 33 Cuncta tibi calcanda simul, pulcherrima merces  
 34 proposita est. Sed quem moneo ? Jam laetus amata  
 35 respiciensque in terga nihil te proripis aede :  
 36 fervida devotum rapuit jam dextra bacillum  
 37 perque salutantum tacitus petis agmina Romam.  
 38 Me ne oro comitem refugis ? Comes esse volenti  
 39 institui meliore via. Jam mundus et omne  
 40 quod placuit juveni, domita vix carne, valet.

AD VERGILIUM MARONEM PARTENIATEM PUBLIUM HEROICUM POETAM

P3\_35 v.1 Eloquii splendor, latiae spes altera linguae,  
 2 clare Maro, tanta quem felix Mantua prole  
 3 Romanum genuisse decus per saecula gaudet,  
 4 quis te terrarum tractus quotus arcet Averni  
 5 circulus ? An raucam citharam tibi fuscus Apollo  
 6 percutit et nigrae contexunt verba sorores,  
 7 an pius Elysiam permulces carmine silvam  
 8 Tartareumque Heliconae colis, pulcherrime vatium,  
 9 et simul unanimis tecum spatiatur Homerus  
 10 solivagique canunt Phoebum per prata poetae  
 11 Orpheus ac reliqui, nisi quos violenta relegat  
 12 mors propria conscita manu saevique ministri  
 13 obsequio. Qualis Lucanum in fata volentem  
 14 impulit, arterias medico dedit ille cruento  
 15 supplicii graviore metu mortisque pudendae,  
 16 sic sua Lucretium mors abstulit, ac ferus ardor  
 17 longe aliis, ut fama, locis habitare coegit.  
 18 Qui tibi nunc igitur comites, quae vita libenter  
 19 audierim, quantum vero tua somnia distent  
 20 et vagus Aeneas portaque emissus eburna,  
 21 an potius caeli regio tranquilla beatos  
 22 excipit ingeniisque arrident astra serenae  
 23 post Stygios raptus spoliataque Tartara summi  
 24 regis ad adventum, magno certamine victor  
 25 impia qui pressit stigmatum limina plantis  
 26 stigmatumque potens aeterna repagula palmis  
 27 fregit et horrissono convulsit cardine valvas ?  
 28 Haec ego nosse velim : tu, mundo siqua silenti

29 umbra recens nostra veniet tibi fors an ab ora,  
 30 quis tria cara tibi loca nunc totidemque libellos  
 31 exitus excipiat, nostris simul accipe verbis.  
 32 Parthenope infelix rapto gemit orba Roberto  
 33 multorumque dies annorum sustulit unus  
 34 prospera, nunc dubiis pendet plebs anxia fatis  
 35 innocuamque premunt paucorum crimina turbam.  
 36 Optima finitimo quatitur sine fine tumultu  
 37 Mantua, magnanimis ducibus sed fulta recusat  
 38 invicta cervice jugum, civilibus usa  
 39 illa quidem dominis, externi nescia regni.  
 40 Hic tibi composui quae perlegis, otia nactus  
 41 ruris amica tui, quonam vagus avia calle  
 42 fusca sequi, quibus in pratis errare soleres  
 43 assidue mecum volvens, quam fluminis oram,  
 44 quae curvi secreta lacus, quas arboris umbras,  
 45 quas nemorum latebras collisque sedilia parvi  
 46 ambieris, cujus fessus seu caespitis herbam  
 47 presseris accubitu, seu ripam fontis amoeni :  
 48 atque ea praesentem mihi te spectacula reddunt.  
 49 Quae patriae fortuna tuae, pax quanta sepulcri  
 50 audisti. Quid Roma parens, hoc quaerere noli,  
 51 hoc melius nescire puta. Melioribus aurem  
 52 Ergo adhibe et rerum successus disce tuarum :  
 53 Tityrus ut tenuem senior jam perflat avenam,  
 54 quadrifido cultu tuus ut resplendet agellus,  
 55 ut tuus Aeneas vivit totumque per orbem  
 56 et placet et canitur, tanto quem ad sidera nisu  
 57 tollere conanti mors obstitit, invida magnis  
 58 principiis. Miserum Aeneam jam summa premebant  
 59 fata manu jamque ore tuo damnatus abibat  
 60 arsurusque iterum ; pietas augusta secundis  
 61 eripuit flammis, quam non morientis amici  
 62 dejecti movere animi, meritoque supremas  
 63 contempsisse preces aevo laudabitur omni.  
 64 Aeternum, dilecte, vale, nostrosque rogatus  
 65 Maeonium Ascraeumque senes salvere jubeto.

#### APPENDIX AD REINALDUM VERONENSEM

P3\_36 v.1 Fama quidem nostras jamdudum vexit ad aures  
 2 magnifici titulos et monumenta loci ;  
 3 munera nec Cereris tantum vel dona Lyaei  
 4 [LACUNE]  
 5 frondosumque nemus passimque in vallibus imis  
 6 hac illac domitos indomitosque greges,  
 7 aut simul auratis habitatas piscibus undas  
 8 antraque nympharum concelebrata choris ;  
 9 sed majora canit patriae praeconia vestrae  
 10 seminaque immensis uberiora bonis.  
 11 Illa mihi tellus placeat quae ferre virorum  
 12 egregiam segetem caelitus aucta solet.

13 Ingentes tulit haec animas. Quis laudibus aequis  
 14 nomina clara ducum tollat ad astra canens ?  
 15 Hinc etiam illustres calamo florente poetas  
 16 vidimus emeritam nectere fronde comam.  
 17 Mantua praeclaro quantum confidit alumno,  
 18 Corduba vel Sulmo civibus altisonis,  
 19 urbs tua tam celsum, quem protulit ipsa, Catullum  
 20 suspicit et summis comparat ingeniis.  
 21 Nunc tamen et lauri myrtusque hederaeque silentur  
 22 sacraque temporibus debita vitta tuis.  
 23 Haec tacitus dixi, non eloquar : omnis apud me  
 24 cesset adulandi mens inhonesta viro.  
 25 Sed coeptam ad patriae laudem et fecunda revertor  
 26 gramina, quae vester nutrit amoenus ager.  
 27 Neve quis id falso famam putet ore locutam  
 28 meque renarrantem vulgus inane sequi,  
 29 ex locuplete domo generosos suscipe testes :  
 30 nomina praetereo, nam tibi nota reor.  
 31 Est vetus historiae series, sed nostra recurrit  
 32 saecula dinumerans anxia cura retro.  
 33 Gallia cum populis gravidam jam solveret alvum,  
 34 [LACUNE]  
 35 Diverso caeli tractu confinia mundi  
 36 ultima complevit gentibus innumeris.  
 37 Hos Asiam tenuisse ferunt et litus Eoum,  
 38 excipit hos patulo Graecia blanda sinu,  
 39 hospitaque hos operit rigidis Hispania tectis  
 40 nomina permiscens mox aliena suis.  
 41 At quos Hesperiae sors in regione Tegaea  
 42 exposuit, vestris invalere jugis,  
 43 quique nives gelidas glaciemve atque horrida Rheni  
 44 murmura pertulerant asperiore situ,  
 45 lene solum, puros latices auramque sereni  
 46 aetheris experti, constupuere animis  
 47 vinaque laturos, quae nondum noverat Arctos,  
 48 in patriam certos mittere cura fuit.  
 49 Ille liquor subita rapuit dulcedine mentes  
 50 et blandum inflexit barbara corda bonum.  
 51 Linquere mox terram sterilem tribulosque ferentem  
 52 et placitum est cunctis Itala rura sequi.  
 53 Ergo iter Italiam versus collesque vinosos  
 54 transtulit affectus, nec gravis ille labor.  
 55 Hos Mediolanum, celebrem modo viribus urbem,  
 56 Veronamque tuam constat habere patres.  
 57 Sat fuit hoc magnum indicium telluris opimae  
 58 sedibus antiquis elicuisse viros.  
 59 Haec mihi fortassis prius ignorata putasti  
 60 exilioque acies consenuisse meas.  
 61 Sic vobis ignara Deus dat pectora veri,  
 62 sic procul a vestro labitur orbe dies :  
 63 simus et Ausonia quamvis tellure remoti,  
 64 cor tamen est illic, corpore quicquid agam.  
 65 Verum ego nunc video quo sim progressus et ultra  
 66 auferor ac culpae blandior ipse meae  
 67 [LACUNE]  
 68 [LACUNE]  
 69 Talia si nequeo, reddam tibi plura profecto :  
 70 vinceris hoc uno, cetera victor habe.

71 Vilibus ex multis pretiosus surgit acervus :  
72 tale fit ex tanto nobiliusque redit,  
73 pensaturque auro stipulae vis ampla. Quid auro  
74 carius aut stipula vilius esse potest ?  
75 Procedo, juvenemque tuum, qui multa magistri  
76 signa refert, alacri fronte "quod ipse jubes"  
77 artius et geminis animi complectimur ulnis.  
78 Est sibi sub nostro pectore parta domus.  
79 Hunc mihi longus amor meritumque et gloria patris  
80 nec semel in dubiis cognita pura fides,  
81 hunc manus apta graves hominum compescere curas  
82 et non vulgaris spiritus ore micans,  
83 hunc mihi praeterea tua dulcis epistola carum  
84 efficit et stimulos ingeminat lateri.  
85 Quae dum se variis redimita coloribus effert,  
86 compulit ut legerem terque quaterque libens ;  
87 mulsissetque animum, nisi quod sub fine relegi  
88 verteret in dubium quod mihi mentis erat.  
89 Nam quod nostra foro volitent nova carmina vestro  
90 et juvat et vereor ne nimis alta petant.  
91 Non ego ventosam Rhodani transcendere ripam  
92 speravi "fateor" nec procul illa legi.  
93 His, ubi caelicolae longae mihi taedia vitae  
94 sanxerunt, satis est me resonare locis.  
95 Hic nocet ingenio caeli inclementia nostro  
96 et vulgi strepitus ambitione fremens.  
97 Praemia Pieridum ac titulos plausumque theatri  
98 aptatum Graeis vatibus ac Latiis  
99 invidisse meo gaudet fortuna labori,  
100 quamquam ea despiciens ad meliora feror.  
101 Undique per vicos miseris lassata querelis  
102 agmina conspicias, pondere pressa gravi.  
103 In partes minimas tenuem proscindere nummum  
104 gloria multorum est praecipuumque decus.  
105 Cernimus exiguo viventes quaerere multa  
106 custodesque auro succubuisse suo.  
107 Ingratum heredem studio dum tollat avaro,  
108 hic vigilat demens et sibi semper inops.  
109 Hic praedulce manu rigidas tractare secures  
110 dum putat et fasces pondus habere negat,  
111 mane vagus populi rapitur per limina, sero  
112 ad trepidas noctes pervigilesque redit.  
113 Alter inexpletum siciens et torvus honori  
114 imminet et vetitum post diadema gemit.  
115 Haec inter, vacuum curis, Heliconam videre  
116 fonteque Castalio tingere labra, puta,  
117 non vacat : impellunt alio nos turbine venti  
118 et vehimur rapidum qua tulit aestus iter.  
119 Nitimur interdum, per tot fluitantia mundi  
120 si liceat stabiles aequora ferre gradus,  
121 si quis agat tremulam per summa cacumina cymbam  
122 immotus pelago monstra nec ulla pavens.  
123 Ante igitur tutum est quam puppis victa fatiscat  
124 flectere sollicito carbasa fessa pede  
125 securumque procul quam primum attingere portum,  
126 turbida terribili dum furit unda Noto.  
127 Hoc meditor, si forte Deus miserator apertum  
128 pandat iter nec se deneget ipse ducem.

129 Est fuga prae manibus mihi jam tacitusque recessus  
130 molior "id paucis insinuasse velim,  
131 tu tamen ex paucis " ; et, si fortuna secundet  
132 consiliumque regat quod modo mente tego  
133 ut fugiam mundum, ne me prior ille relinquat  
134 neu mihi postremum dixerit ante "vale",  
135 spero quod ingenio magnum locus alter inert  
136 calcar erit, pennas et dabit ille novas.  
137 Floridiora equidem tunc carmina nostra videbis.  
138 Interea tamen haec qualiacumque lege  
139 ignoscenda tibi ; nam libera musa quietum  
140 tempus habere cupit, quod mihi fata negant.  
141 Si quicquam Italiae visurum litora posthac  
142 scribere contigerit, tu prius hospes eris.